INSTRUCTIONES FRATRUM DISCALCEATORUM CONGREGATIONIS S. ELIAE ORDINIS...

Carmelitani scalzi : Congregazione di S. Elia

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
25 K
M 10

13-3. D. 17

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

INSTRUCTIONES
FRATRUM DISCALCEATORUM CONGREGATIONIS S. ELIÆ ORDINIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ DE MONTE CARMELO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



ROMÆ, Typis Dominici Antonii Herculis. 1693.

Superiorum Facultate.

Digitized by Google

Imprimatur

Si videbitur Reverendiſs. P. Sac. Apoſt. Pal. Mag.

Sperellus Epiſc. Interamneñ Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Franciſcus Maria Forlani Reverendiſs. P. Fr. Thomæ Mariæ Ferrari Sac. Apoſt. Pal. Mag. Soc. Ordinis Prædicatorum.

Digitized by Google

FR. AMBROSIVS A S. ANGELO

PRÆPOSITUS GENERALIS

Fratrum Congregationis S. Eliæ, Ordinis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, & ejuſdem S. Montis Prior.

UNIVERSÆ CONGREG. SALUTEM.

CUM in Inſtructionibus noſtris anno 1630. & 1634., nec non anno 1686. in lucem editis multa reperiantur uſui, & conſuetudini Provinciarum parùm conformia, quæ prædictarum Inſtructionum authoritatem, & honorem debitum non leviter minuunt, quo fit, ut exiguus fructus ex illis percipiatur, & unde uniformitas externa Religioſæ diſciplinæ, & decor domus Dei provenire debebat, diverſitatẽ aliquam in Religione noſtra ortam fuiſſe, comprobatur. Ad hæc attendens Capitulum noſtrum Generale, pro illo quo fervebat boni communis zelo, pluries Definitorio noſtro Generali omnes Inſtructiones revidendas, & examinandas commiſit, & ſic examinatas approbaret, &

obſer-

obſervandas proponeret; Quod exactè, & ſtudiosè perficere ſatagens, primas anno 1630. impreſſas, & ultimas anno 1686. utpotè primis in omnibus conformes, illegitimas omninò reperit, cum in Capitulo Generali ſubſecuto ad primarum editionem, anno ſcilicet 1632. illæ fuerint reprobatæ, eo quod plura continerent ad mores Provinciarum parùm accommodata: Unde ſecundas tantùm omnibus aliis abrogatis amplectendas cenſuit, paucis additis, vel mutatis majoris claritatis gratia, & conformitatis cum præſentibus Provinciarum uſibus: Has ergo ſic redactas, & communiori praxi adaptatas, ut nihil ultra deſiderari poſſe videatur, omnibus Religioſis noſtris Sancta æmulatione, & ſummo ardore ſervandas, pro authoritate noſtra præcipimus, ut omnes uno animo, iiſdemque actionibus Altiſſimo deſervientes, ad propriæ perfectionis, & Religionis incrementum proficiant. Dat. Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ de Scala die 30. Aprilis 1693.

Fr. Ambroſius à S. Angelo Præp. Gener.

Locus † Sigilli.

Fr. Dionyſius ab Aſſumptione Definitor Gen. Secret.

IN-

Digitized by Google

JESUS MARIA.

INSTRUCTIO PRIORIS.

1. PRIOR Cœnobii tanquam ſpiritualis Pater, Dux, & Magiſter ſuæ familiæ, ſic in omni virtutũ genere ſtudeat omnibus anteire; ut ejus vita, diſciplina ſit cæterorum, & perfectionem, quam pro modo Inſtituti noſtri exquirit in aliis, ita exprimat in ſe ipſo, ut ab eo tamquam ab uberrimo fonte in alios facilè derivetur. Cum primis verò, oratione, & regulari obſervantia velut nervoſis humeris, inconcuſsè domum ſuſtentet.

2. In ſubditorum regimine Chriſti benignitatem, manſuetudinem, charitatem, pro viribus imitetur, & juxtà Apoſtolum forma gregis factus ex animo, exemplo magis, quàm verbo eos ad perfectionem informet.

3. Auctoritatẽ ſuam veris virtutibus,nõ elatione aliqua, aut imperio tueatur;ſeve-

ritatem tamen oporrunè miſceat lenitati : At ſubditis moderatè ſemper , & circumſpectè præcipiat, impensè omnes , atque æqualiter amans, ſeque illis prębens amabilem , ut adire ipſum ſinceriùs , fidentiùſque præſumant.

4. Conſtitutiones, Decreta, & ejus generis alia , quibus Inſtituti noſtri ratio continetnr præſtò habeat , & identidem perlegat : ut ex eorum præſcripto cùm ſe, tum alios noverit gubernare .

5. Sit in Sanctorum Patrum Lectione aſſiduus, eorum maximè, qui de Regimine conſcripſerunt, cujuſmodi ſunt S. Gregorius de cura Paſtorali, S. Laurentius Juſtinianus de Regimine Prælatorum , S. Bonaventura de ſex Alis Seraphim , & plerique hujuſmodi .

6. In externis negotiis quovis obtentu ſuſcipiendis Conſtitutiones noſtras p. 1. c. 13. §. 7., & c. 14. §. 4. diligenter obſervet ; neve in alterius rei curam ità incumbat, ut recta interim ſui muneris executio retardari queat.

7. Exitus è domo pręſertim ad alias Civitates, & Oppida ſeriò vitet, & Conſtitu-

tiones

tiones, vel Ordinationes ea de re loquentes diſtrictè ſervet, ſervarique perficiat; compertum eſt enim, quantum domeſticę obſervantiæ, & ſubditorum profectui aſſidua Superioris præſentia conferat.

8. Navet operam, ut ſinguli Religioſi exercitia Spiritualia diebus decem duratura, ſeorſim peragant, ut minùs ſemel in anno ad fervorem ſpiritus reſumendum; quod & ipſe præſtabit.

9. Sũmoperè invigilet, ut per duas quotidiè horas omnes vacent orationi mentali, ac tàm ipſe, quàm quivis alius occupationes omnes eo tempore ſtudiosè declinet. Si qui verò Fratres Donati Nocturnis horis orare nequeãt, communi eos orationi jubeat intereſſe, vel commodiores interdiù ad orandum illis horas præfigat, quamvis interim à labore ceſſaturis.

10. Bis in anno Religioſorum ſpiritum explorabit: & an aliquo remedio indigeant? exactiùs ſolito pervidebit.

11. Præſcriptas in Conſtitutionibus ſpirituales collationes haud remiſsè, & perfunctoriè actitari permittat, ſed acri, & ferventi ſtudio exerceri contendat; ut ſi

qui ſpiritu intepuerint, iis veluti agitationibus incaleſcant.

12. Capitulum culparũ omni cura fovebit, in eoq; ſtrenuè inſiſtet, ut ſi quæ fortè in aliquibus deprehenſæ fuerint, de iis nõ à zelatore ſolùm, ſed à reliquis Patribus juxta Conſtitutiones charitate media moneantur, ne tam probata inter nos, utiliſq; per omnia exercitatio paulatim deferveat. Exhortationes verò Capitulares de Regulæ obſervantia, & perfectione monaſtica plerumque fiant.

13. Sit fraternę unanimitatis, cõcordięq; ſtudioſiſſimus; & leviſſimũ quemq; motum diſſenſionis citò ſupprimat, & compeſcat.

14. Domi, foriſque ſuorum lapſus, atque diſcrimina ſic avertat; ut ne ſequantur, impendat ſolicitam providentiam, & ſi quæ fuerint jam ſecuta, adhibeat ſine cunctatione remedium.

15. Crebrò ſingulos, amanterq; valdè alloquatur, eorumque internis, externiſq; neceſſitatibus ſedulò, & paternè proſpiciat: Quos verò noverit aliqua tentatione, præſertim gravi pulſari, in his laboris, & ſolicitudinis plurimũ collocabit, adhibita

bita quoque aliorum opera, à quibus eos juvari poſſe intellexerit.

16. Si ex naturali erga aliquẽ ſympathia ſit affectu propenſior, vel antipathia remiſsior; ſic ſe temperet in utrumque, ut neque alterum plus amari, neque alterum minùs diligi, poſsit eſſe compertum.

17. Quę ſtatuunt Conſtitutiones noſtrę de vitanda otioſitate, congruiſque ſingulis exercitiis præſcribendis, de cellarum receſſu, & ſecularium declinandis congreſſibus, intelligat Prior maximoperè ad ſubditorum profectum conferre; ideòq; omnia quàm diligentiſſimè, tum ipſe cuſtodiat, tum ab aliis poſtulet cuſtodiri.

18. Ut in alterius officiũ alter ſe ingerat, niſi ex licentia non permittat; efficiet autẽ, ut Suppriori, & ſibi Officiales promptè obtemperent; nec minùs ipſe obſequenter ſuis Prælatis obtemperabit, nihil aut faciens, aut fieri ſinens contrà eorum mandata. Si quod verò inconveniens timeri poſſe videatur ex his, quæ Superiores prę- ceperint, re perhumiliter indicata, quod ii poſtmodum juſſerint, indiſcuſsè penitùs exequatur, prout etiam Conſtitutiones decernunt.

19. Se-

19. Seriò Officiales admoneat, ut ſuas ſinguli peculiares Inſtructiones habeant in Cella, vel officina, eaſque crebriùs legant, & perfectiùs ſervent.

20. Laudabile erit, ut Prior libellum habeat, in quo diligenter adnotet, quæ quotidianis experimentis animadverterit ad ſui Cœnobii meliorem ſtatum conducere; ſignãter ea, de quibus P. Generalem, vel Provincialem crediderit commonendos, ne facilè memoria excidant.

21. De rebus Cœnobii gravioribus, ſivè illa ſpiritualia, ſeù temporalia ſint, agat frequenter cum diſcretis.

22. Libẽter audiet, cum diſcreti, præſertim primus, quidpiã propoſuerint, tametſi penès ipſum erit facultas deliberandi, ubi Conſtitutiones non adverſantur; ſi quando tamen quavis de re ab iis commonefiat, benignè accipiens conſulat emendationi, aut ſi cenſuerit expedire, modeſtè admodum, & pacatè rationem proferat facti ſui.

23. Quæ præcipit Conſtitutio noſtra de prima menſa, ſervari accuratiùs providebit; idque ut obtineat, ipſe cum primis eidem ſtudeat intereſſe, nec plures Miſſas

reiici

reiici patiatur in tempus, quo horæ antemeridianæ dicendæ ſunt.

24. Adhibebit impensè operã, ne Confeſſariis, quotieſçunq; opus fuerit, Eccleſia careat, & ut vocati ſedulò accurrant. Signo autem dato ad orationẽ, vel horas Canonicas, quid tùm illi facturi ſint, pro ejuſdẽ Eccleſiæ exigentia oportunè diſponat.

25. Minimè permittat ſine juſta cauſa Religioſos abeſſe ab actibus Chori, & Orationis, qua de re modum præſcribat Sacriſtæ, & Janitori, qualiter ſe gerere debeant cùm extraneis tempore prędictorum actuum Religioſos poſtulantibus.

26. Sic moderetur ea, quibus proximi adiuvantur, ut numero Fratrum neceſſario Chorus nunquam deſtituatur; ſed ejus actus ritè, ac debitè perſolvantur.

27. Nunquam committet, ut Cõfeſſarii per idem tempus omnes abſint à Clauſtro; ſed ita ſemper eorum exitus temperabit, ut ex his aliqui ad occurrentes neceſſitates domi maneant quandocunque parati, præſertim feſtis diebus, quibus propterea niſi magna urgente neceſſitate Confeſſariis veniam exeundi non dabit.

28. Pro

Digitized by Google

28. Pro conquirendis temporalibus, Inſtituti noſtri rigorem per Indulgentiam non remittat, ſed regnum Dei,& juſtitiam ejus reliquis omnibus anteponens, à divina potiùs bonitate ſibi etiam temporalia adiicienda non dubitet; Eccleſiæ quoque & Sacriſtiæ non tàm pretioſa, quàm apta,& munda, Inſtitutoq; noſtro,& Conſtitutionibus conſentanea procurabit.

29. Perpendat plurimùm intereſſe, ut Conſtitutio de vitanda familiaritate mulierum, etiam pudicarum, & quod extrà Clauſtrum noſtri nec bibant, nec cibum ſumant, rigidè impleatur.

30. Viros erga Congregationem noſtrã benevolos, ac de nobis benè merentes Prior, ac reliqui omni gratitudine proſequantur, & in benevolentia ſtudiosè retineant: Si quos autẽ averſos noverint, maximè viros valdè graves,& magnę auctoritatis congruis rationibus, & orationibus enixè ſatagant ad benevolentiã revocare.

31. Migraturos ad alios Conventus interioribus indumentis, quibus uti mos eſt, privari eatenùs non permittat, ut & ſuadere charitas debeat, ea melioribus

per-

permutari. Cætera denique ad iter agendum neceſſaria ſingularibus charitatis indiciis unicuique provideantur.

32. Nemini permittet, aut facultatem impertiet, religioſarum mulierum curam, aut regimen obeundi, nec ſacras earum confeſſiones ordinariè audiendi, ſed hac in re Conſtitutio diſtrictè ſervabitur.

33. Non ferat quemquam ex noſtris, à conſanguineis, amicis, vel quouis alio quidquam pro ſe, etiam eleemoſynæ obtentu ſine licentia poſtùlare; ſed quæ opus habuerint, ipſe pro viribus erogabit.

34. Eximiam religioſorum ægrotantiũ, ſive imbecillium curã gerat, non ſecùs, ac Parens filiorum, & pro medicorum conſilio, exactiſſimè oportuna provideat. Neque in ægrorum procuranda ſalubritate, cæteriſque ad eorum ſolatium neceſſariis, paupertatem prætendat, memor eorum, quæ Beatiſſimæ Matri noſtræ Thereſiæ in alto mẽtis exceſſu Chriſtus Dominus olim locutus eſt: *Superiores*, inquiens, *qui ægris Fratribus non ſubveniunt pro qualitate morbi, etiam indulgenter; imitantur Amicos Job*: Quamquam enim ægritudinibus

illos

illos Deus exerceat , ut corporibus divexatis, eorum animæ in virtute proficiant : Prælati tamen, qui circa illos debitam negligunt providentiam , eorum ſuſtinentiã in diſcrimen adducunt. Quare ab eadem S.M.N. Thereſia pręclarè illud, ac piè dictum : *Magis expedit , ſanos carere neceſſariis, quam ægros deliciis* .

35. Eos frequenter inviſet: Aderit etiã quandoque eorum miniſteriis, ac medicorum præſcriptionibus , aſperget aqua benedicta, & ſimilia præſtabit obſequia, quę ipſis ægris afferre ſolent ſolatium, & ad officia charitatis alios prævalent incitare.

36. Conabitur quantũ poterit, ne receſſurus ab officio, domũ relinquat ęre alieno prægravatam , curabit autem id maturè ſuperflui ſumptus abſtinentia prævenire.

37. Periculũ faciat, an Fratres , quibus emendi cura committitur, parcè ſe, & frugaliter gerant? ne paupertatis cultum imminuant, niſi hoc fortè per Procuratorem Cœnobii maluerit explorari.

38. Domeſtica quæq; officia, in primis verò Sacriſtiæ, Januæ, Valetudinarii Religioſis attribuat , quos ad illa noverit aptiores.

39. Quod

39. Quod attinet ad hoſpitalitatem fovendam,& extraneos domi recipiendos, Prior per omnia ſeſe gerat juxtà Conſtitutionis præſcriptum. c.19. §.1. & 6. Meminerit autem, frequentiam ſecularium hoſpitum monaſticæ obſervantiæ incredibile detrimentum afferre; Erga receptos tamen humanitatis, & charitatis nullum prætermittat officium.

Hæc Prior ſub initium officii ſui, & frequenter deinceps attentè legat.

INSTRVCTIO SVPPRIORIS.

1. PRæcipuam Fratrum gerat ſolicitudinem,ne fervoris,quem in Novitiatu conceperant,ſenſim incurrãt ejus incuria detrimentum. Quod ut obtineat,eorum ſpiritũ quandoq;ſigillatim examinet.

2. Semel in hebdomada exhortationem ad Fratres Choriſtas habeat regulariter, quo die ſacram Euchariſtiam ſumunt,non tamen die Dominica, ut in Conventibus ſtudiorum ad uſitatas Concluſiones magis expeditè ſe præparent; in aliis verò

Cœno-

Cœnobiis cum die illo plerumq; concio audiatur, propterea minùs graventur.

3. Supprior, aut quivis alius ad id ſuffectus, Fratres Donatos conſuetæ exhortationis tempore ſermone ſimplici, ac dilucido utiliùs inſtruet, quemadmodum religiosè laborēt: inſuper de orādi methodo, & ratione colendę virtutis, maximè autem de fidei rudimentis, catechiſmo, & hotum ſimilibus; At rudiores prædicta omnia publicè, privatimq; docebit; non rarò enim deprehenduntur, qui hæc ignorant, nō ſine Congregationis nota, eorumq; & Magiſtri culpa ſummoperè reprehendenda.

4. Ubi fuerit domus profeſſa, cellula Magiſtri ſit in eodem dormitorio clauſo cum cellulis profeſſorum, cum quibus etiā ſuo tempore ſeorſim ab aliis recreabitur; aderitque (niſi occupatus) Veſperis dulciſſimi Nominis Jesu, qualibet ſexta Feria in ea domo à Fratribus in commune dicendis; & Orationi per ſemihoram fieri ſolitæ poſt Matutinum. Bis in hebdomada Fratres congreget, ſemel ad exhortationem, iterum verò ad corripiendas culpas, & præſentiam Dei diſcutiendam.

5. Quo-

Digitized by Google

5. Quoties illũ præſidere contigerit, ſervabit ſemper modeſtiæ comitem humilem gravitatem, præſertim ſi religioſi graves, aut Prælatus quiſpiam intervenerit.

6. Si Priore, vel alio reſpectivè Superiore ad menſam Convaleſcentiũ recumbente, ingrediatur aliquis Refectoriũ ad mortificationem extraordinariam exercendã (quæ laudabilius eo caſu omitti poſſet) Supprior, aut quicunque alius Prȩlato illo reſpectivè inferior præſidebit, brevi aliquo exhortationis potiùs, quã correptionis verbo celeritèr ſe accuſantẽ dimittat: neque poſt Cœnam, vel Collationem de culpis agat, ob Superioris reverentiam, (niſi aliud Prȩlatus iniunxerit) ſed Benefactoribus cõmendatis, dabit ſignũ ſurgendi, eamdemq; ob causã prȩſente Superiore, etiam hoſpite, nemini diſciplinam infligat.

7. In Refectorio Supprior, ſeù quivis alius præſidens rigidiſſimè ſilentium zelet, ſintque prædicta cuilibet præſidenti reſpectivè communia.

8. In deſcribenda communi officiorũ tabula nullum excipiat, niſi ex licentia Superioris; expendat autem diligenter

ſingulorum in unaquaque hebdomada occupationes, ne cui temerè adſcribat officium, quod raro, aut nunquam per eam hebdomadam valeat exercere.

9. Nulli duo præfigat officia ſimul pugnantia, & eodem tempore obeunda, ſeù quorum alterum impleri debeat immediatè poſt alterum, hora præcipuè conſuetæ recreationis.

10. Quandoque in decernendis officiis expendere debet perſonas, ætateſque Religioſorum; valdè etiam indecorum eſſet, ipſos quoque Prælatos, puta Præpoſitum Generalem, aut Provincialem noviſſimè officio functos iis Refectorii, Chorique officiis ſtatim præfigi, quæ nec Supprioribus aſſignantur.

11. Eximiã Chori diligentiam obeat, ceremoniaſque, & cætera ejuſmodi apprimè calleat, Fratreſque reliquos tempeſtivè, atque inſtanter erudiat, ut abſolutiſſimè cuncta exolvantur. Directorium Officii divini juxtà Ritum Kalendarii noſtri ab omnibus recitandi, aptè deſcriptum Choro affigat, in quo Lectiones, commemorationes, & alia, quæ in Kalendariis impreſ-

impreſſis notari ſolent dilucidè,& ordinatè monſtrentur, ut facilè ab omnibus,maximèque ab Officialibus conſuli, prævideri, & officii ſeries percipi expeditiùs, & exactiùs queat. In quo etiam directorio notari curet, quæ quotidie Miſſæ dicendæ ſunt, quæ item collectæ, quæ Præfatio, & an dicatur *Gloria in excelſis*, *Credo*, & Evangelium in fine Miſſæ?

12. Ubi celebriores totius anni ſolemnitates,& ſolemniora officia imminebunt, ſupradicta perlegat accuratiùs, & memoriter promptum habeat, quid in illis peculiariùs obſervandum ſit?

13. Tàm ad ſolemnitates prędictas,quã ad Proceſſiones publicè peragendas Fratres omnes præveniat, & convocatos attentè inſtruat, ritus,& ceremonias doceat, modeſtiam, gravitatem, religionem in iis actibus exhibendam ſeriò commonefaciat.

14. Habeat nonnullorum Fratrum delectum, qui præ aliis ceremoniarum periti, & ſeduli ſint; quos ad ſolemniora ejuſmodi officia delegabit, etſi minimè in communi tabula eo tempore ad id notentur, quò ſcitè admodum, ac decentèr à

noſtris publicè ritus, & ceremoniæ obcẽtur: Quibus verò Solemnitatibus Prælatos celebrare oportuerit, iis præter communem tabulam, digniores Miniſtros, etiam ex his, qui nunquam tabulę prænotantur, aſſignet pro dignitate celebrantium, & Superioris arbitrio.

15. Pro Religioſorum numero ſufficientem quoq;numerũ manualium aſſervari,& cùm opus fuerit, promi curet. Manuale ipſum,& ordinarium ſępè verſet,& conſulat; frequentiſſimèq; ab aliis, ut verſetur, & conſulatur admoneat:Sed & Ordinariũ, ut ſemel ſaltẽ in anno legatur in Refectorio, agat ſedulò cum Priore, cui etiã ſuggeret aliquando; ut conſuetæ recreationis tempore dubia de ceremoniis,ac Rubricis Miſſalis, & Breviarii,ſi quæ cuiquam ſuccurrerint, ſedatè admodùm agitentur, ac declarentur: & Miſſa aliqua, vulgò ſicca, attentè repræſentetur, quò ceremoniarum conformitas facilè à ſingulis addiſcatur.

16. Rudiores aliquos, aut ineptiores Fratres ad illa officia non aſſumat, quæ debito cum decore, maximè coram extraneis implere non valeant.

17. Cho-

Digitized by Google

17. Chorum ſeù nimis celerẽ,ſeù nimis prolixum aptè ſemper,decentèrq;moderetur,demiſſiorem autem,vel ipſe congruentèr attollet, vel attollendum Cantoribus indicabit, ſed nunquam ipſe ſimul elevet cumCantoribus,nec immediatè poſtquàm illi elevaverint, ne diſſonantia committatur; Quæ tamen omnia ex ordinarii legibus faciat Superiore præſente.

18. Ubi aliquem Pſalmũ ante finem terminari oportuerit cum *Gloria Patri*, &c. à Superiore tantùm,vel Præſide incipiatur *Gloria Patri*. In aſperſione paritèr aquæ benedictæ Pſalmus nullatenus terminetur, niſi poſtquam Hebdomadarius ad locum ſuum redierit, ne dum dicitur *Gloria Patri*, contingat illum cum Thuriferario adhuc perambulantem, aut nullo modo, aut parùm compoſitè inclinari.

19. Sẽper Hebdomadario,vel celebranti pari tono reſpondeatur, vitandæ gratia diſſonantiæ. At quando incipitur *Gloria in excelſis*, *Credo*, licet Cantoribus ad nutum Supprioris, vel Præſidis opportuniori tono proſequi,ſi elatiùs,demiſſiuſvè,quàm decet à Sacerdote fuerit intonatum.

Digitized by Google

20. Pervideat Supprior, ne quid in officinis ex negligentia corrumpatur, quas ideò frequens perluſtrabit, explorabitq; an miniſterio quiſque ſuo inculpatè Fratres fungantur? Priorem inſuper cum expedierit admonebit, ut officinas neceſſariis inſtruat; & quę ad corruptionem tendunt jubeat reparari, aut aliud oportunè diſponat.

21. Antiquum, Laudatiſſimumq; noſtræ Congregationis morem retineat, provehatq; mittendi certamina ſpiritualia circa Feſtum exaltationis Sanctæ Crucis abſentium Fratrum Cœnobiis. Quamobrem requiſito Priore ad quas maluerit virtutes laceſſere, provocationem ipſe Supprior, vel ejus nutu alter deſcribat, non eloquii nitore conſpicuum, nec multiplici ſacræ Scripturæ, Sanctorumq; auctoritate diffuſam, ſed acrem, brevem, & quæ animos ad virtutem exacuat, non excitet curioſitatem, nè quod ad veræ pietatis æmulationem religioſè inſtitutum eſt, in fucum, & oſtentationem vertatur.

22. Provocabunt ſe mutuò ad hæc certamina regulariter Conventus uniuſcujuſque Provinciæ. Sed extrà Provinciam ſa-

tis

tis fuerit, ut Novitiatus Novitiatum laceſſat,& ſtudioſi provocent ſtudioſos aliarum Provinciarum. Curet autem Supprior, hujuſmodi Provocationes in commune legi, & ſubſcribi antequàm mittantur, Satis alioquin facturus, dum unum juſſerit nomina ſingulorum ſubſcribere.

23. Curam etiam ſpecialem habeat de libris in Refectorio legendis juxta Ordinarium, & quod præſcriptis temporibus legantur Bullæ Apoſtolicæ, legi ſolitæ, in his locis, in quibus legi debent.

Inſtructio Secretarii Præpoſiti Generalis, & reſpectivè Provincialis.

1. ARctiſſimum ſecretum cuſtodiat eorũ, quæ ſcripſerit, legeritq; & literas Generali directas, quaſq; ille ſcripſerit manu ſua, tametſi apertas offenderit, nunquam legat niſi juſſus, aut peculiariter invitatus ab ipſo; vel niſi, ut noverit quid reſcribat, acceperit.

2. In conſcribendis epiſtolis nil unquam addet, vel ſubtrahet his, qnæ Generalis injunxerit, adeòque accipiet ſigil-

latim ex ejus ore quid ſcribere, quid reſpondere debebit. Cum verò literas gravioris momenti Generali deferet ſubſcribendas, conſultum erit, ipſum breviter commonere illarum ſingulæ quid contineant.

3. Nullius literis quavis etiam gravi ex cauſa ſigillum imprimet Generalis, nec in faſciculo literarum ejuſdem Præpoſiti, aliorum epiſtolas, niſi ejus conceſſu regulariter, aut mittendas inſeret, aut aliundè Miſſas diſtribuet.

4. In iis Cœnobiis, in quibus erit pro tempore moraturus, nedum officii ſui, verùm exempli cum primis boni ſit verè ſatagens, & ſolicitus, non à ſuo munere aliena diſquirens, & ſi quæ noverit ad unius Cœnobii ſtatum, exiſtimationemque ſpectantia, in alio nullo modo pervulgans.

5. Nil per Cœnobia mutuò petat; & gratis exhibitum, niſi ex licentia Generalis non accipiat.

Præſens inſtructio ad Secretarium Provincialis reſpectivè pertinet.

IN-

Digitized by Google

INSTRUCTIO CONFESSARII.

1. CUm primùm ad ſacras Confeſsiones audiendas vocabitur, cor in Deum intendens, & auxilium gratiæ ſibi, & confeſſuris depoſcens, in Eccleſiam inſigni cum modeſtia tendat.

2. Ubi reſederit, verbis officioſis, aut nullatenus neceſſariis ſeriò reſecatis, de confeſsione Pęnitentem illicò interpellet.

3. Alteram tantùm aurem confitenti ac commodet; atque ab intuitu, maximè fęminarum, oculos accuratè cohibeat.

4. Corpus totũ ita componat, ut veſtibus undecunque contectum, nihil deformitatis præſeferat; motus quoque, actuſque incongruos, & incompoſitos, præcipuè brachiorum, & manuum ſtudiosè devitet.

5. Confitentes citrà neceſsitatem, haud prolixiùs remoretur, nec peculiariter moram trahat cum mulieribus, maximè quæ Sacramentum frequentant.

6. Sit

6. Sit verbis parcus, gravis, & nihilominus mitis; ut peccatores arguat in ſpiritu Lenitatis: auſterior verò erga neminem, niſi ubi Lenitas nil proficeret.

7. Perſonarum acceptione poſt habita, nunquam divites, niſi ex juſta cauſa pauperibus anteponat.

8. Cum ad ægrotantiū audiendas confeſsiones domo prodierit, ſit omninò tenax modeſtiæ, & fęminarum, vel maximè pudicarum, cautè admodum averſetur pręſentiam; nec ſe teſtamentorum laqueis, aliorumve negotiorum involvat.

9. Accedentes ad Sacramentum de fidei rudimentis interroget, & pro loci, ac tempotis ratione ignaros erudiat, vel tradat alteri erudiendos.

10. Pios aliquot exemplorū, & conſiliorum libros familiariùs legat; undè aliqua excerpat, quibus, cum opus fuerit, confitētes hortetur, corripiat, terreat, ſoletur, aliaq; præſtet, quibus animas Chriſti ſanguine redemptas Deo uberiùs elucretur.

11. Nunquā intra, vel extra Clauſtrū ſacramenti negotia complectatur, quæ mentē valeant quoquomodo ab hac ſacerrima fun-

fũctione dimovere,ſed ubi viderit,id quod Pęnitentes poſtulant ad ſacramentum eſſe impertinens, liberè moneat poſtulantes.

12. Hujus occaſione miniſterii à nemine adeuntium temporale aliquid petat quocunque pietatis intuitu; nec ſpontè oblatum in ipſo loco miniſterii prorsùs accipiat; ſed quæſtui & ſaluti animarum totus inhiet, & incumbat.

13. Reſipiſcentium, vel piarum quarumcunque mulierum adminiſtrationem penitùs non admittat, quæ animum ab Inſtituto divertat.

14. Quoſcunque audierit, nedum à culpis poſtmodum abſtinere pręcipiet: verùm etiam ſalutaribus monitis, congruoque aliquo exercitio inſtruet ad ſpiritualem profectum.

15. Votum quodcumque præſtandæ ſibi obedientiæ nec ſuadebit mulieribus, nec permittet.

INSTRVCTIO PROCVRATORIS.

1. TEmporalia bona ſui Cœnobii, fide,ac prudẽtia ſolertiſsimè adminiſtret:

niſtret; fide quidem, ut nihil agat à conſcientiæ puritate alienum; prudentia verò, ut ea bona, quibus poterit induſtriæ modis, moderatè tueatur, & augeat.

2. In diſtinctis codicibus quoquo die ſumptus ordinarios, & extraordinarios, ac præcipuas eleemoſynas cum nominibus erogantium notet, ne retinendi apud nos ejuſmodi monimenta benemerentium antiquus uſus intercidat.

3. Seorſim in alio libello debita, quæ Convenrus contraxerit, ſigillatim deſcribet, & condictis temporibus exſolvenda diſponet juxta nutum Superioris.

4. Nemini mutuet, commodetvè, prǫterquàm Superioris conceſſu.

5. Quidquid quovis jure Conventui debetur diſtinctè notet, præfixiſq; temporibus exigat: pecunias verò, quas exegerit, numeratas, in arca trium clavinm condat coram aliquo ex diſcretis.

6. Compertum habeat onus Miſſarum, & quæcunque alia pia onera, ut ſuis quæque temporibus eximia fide, & ſedulitate impleri provideat.

7. Fabricā, ſi quæ fuerit cępta, & fabricæ ſum-

ſumptus per omnia diligentèr accuret, niſi alium Prior præfecerit.

8. Res Cœnobio inutiles conſentiente Superiore vendet, mutabit, permutabitque juxta Conſtitutiones.

9. Neceſſaria in cõmunes uſus pro modulo noſtræ paupertatis emet providè, ac tempeſtivè: ſemper tamen ad Superioris libitum, & Conſtitutionum præſcriptum.

10. Pecuniam ſibi commiſſam diligẽtèr cuſtodiat, nec ſecùs eroget, quàm rem ſacram, Deoq; dicatam, corde ſcilicet perſincero, & nullatenus inhærente.

11. Nunquam pecunias extra arculam derelinquat, ſed iis circumſpectè reconditis, clavim perpetuò ſecum gerat.

12. Prodeundi licentia ità nõ abutatur, ut quò ad poſſit, exitu abſtineat, & cũ prodire neceſsè fuerit, ſit valdè in actibus moderatus, atque ad reditum expeditus.

13. Sęcularium, & cum primis mulierum familiaritatem, quæ rerum facilè temporalium quotidiano uſu, commercioq; contrahitur, indeſinenter devitet: & corpore foris agens, corde tamen à clauſtro non recedat.

14. Depoſita quæcunque ſibi credita, qua decet fide cuſtodiat, & in uſus Cœnobii nullum diſtrahat, vel adhibeat, niſi conſenſerit, qui depoſuit, vel Superior, ad quem pertinet veniam dare.

15. Demùm meminerit Procurator, ſe Prioris eſſe adminiſtrũ, atq; omnem officii ſui rationẽ, executionemq; pro illius moderetur arbitrio, ne ſecùs faciens grave ſubeat exercendæ proprietatis diſcrimen.

INSTRVCTIO SACRISTÆ.

1. PLurimi faciat, gaudeatque Chriſti Theſauro ſe fuiſſe præpoſitum, ejuſq; gerat pro dignitate ſolicitudinem.

2. Rerũ ad ſacram ſupellectilẽ pertinentiũ deſcribat indicem exactiſſimũ in claſſes diſcretũ, in quo ſubinde adnotet, quæ in poſterum donabuntur, quæ verò invenerit uſu, ac tempore periiſſe, expungat.

3. Sacras veſtes, linteamina, vaſa, & reliqua ſuis quæque receptaculis decenti ordine ſic diſponat, ut quandocunque oportuerit ſingula inveniri, promi, recondi promptè admodum poſſint.

4. Cal-

Digitized by Google

4. Calleat regulas, Canoneſq; Miſſalis, & Breviarii; ac ſucceſſura in dies feſta præmeditetur, ſaltèm pridiè uniuſcujuſque, ut in exornandis Altaribus, indumentiſque pro tempore apparandis error aliquis non obrepat. Diebus verò ſolẽnibus, & majori hebdomada prænoſcat omnia diligentiùs. Tabellam quoque publicè appendat, in qua directio habeatur circa Miſsas ſingulis diebus celebrandas.

5. Patenas, Calices, Corporalia, & cetera Sacramento proximiora frequens, attentuſq; diſpiciat; ne quid fortaſsè fractũ, læſum, laceratum, ſordidumvè, aut quovis modo inconcinnum appareat. Quidquid autem ejuſmodi deprehenderit, ſtatim reformet, vel à ſacrificio removeat.

6. Sit locus aliquis in ſacrario, panno coccineo, aliovè hujuſmodi intus appoſitè invelatus, exponendis, reponendiſq; ſacris calicibus, ne ſordes contrahãt, oportunus.

7. Purificatoria frequentiſſimè demutabit, recentiora ſubſtituens, & in ſacrificio vini rubri uſum, quoad poterit non admittet, ne ſacra lintea inficiantur.

8. Congruenti aliquo loco circa ſacra-

crarium præſtò erunt crepidæ coriaceæ; labrum cum aquæ copia manibus abluendis, & lintea extergendis idonea, quæ frequenter mutabit. Caveant autem Sacerdotes noſtri, ne illis utãtur ad nares emungendos, aut ſudores, vel dentium ſordes abſtergendos.

9. Intra, vel juxta ſacrarium, locum unũ; vel ſi plura, ſeorſim inſtruat piis imaginibus, accubitu ligneo, & ſella ad Sacerdotum confeſſiones commodè audiendas.

10. Majores hoſtiæ, minoreſq; nunquam deſiderentur, ſed omni tempore ſint præmanibus plurimę, candidæ, ſedulò circinatæ, diſtinctis thecis incluſę, opertęq; ne vel aridiores fiant, vel molliores, niſi tegantur.

11. Nonnulli etiam pilei clericales in promptu ſint, quibus utantur Sacerdotes ſæculares apud nos ſacrum facturi.

12. Pro numero Sacerdotum Cœnobii diſponet quoque amictus, & ſudariola locis diſcretis, & numerorum ſuperaddita inſcriptione, quæ quam ſæpiſſimè mundioribus permutabit.

13. Miſſalia munda cuſtodiat, ſordeſque ex contrectatione adhærentes dili-

gentèr

genter abſtergat, ſigna diſponat, veteribus nova ſufficiat.

14. Cruces, thuribula, candelabra, & ejuſmodi, quorum non eſt quotidianus, & freques uſus, propriis inferat conditoriis, ac thecis, veliſque operiat, ne ſordeſcant.

15. Habebit peculiarem codicem, ad conſcribenda nomina ſodalium Beatae Mariae, ac defunctorum in noſtra Eccleſia humatorum.

16. In apparandis Altaribus nullam induſtriam prętermittat: Caveat autem, ne paramentis paramenta ſuperſtruat, niſi rariſſimè, ſed alio dimoto applicabit aliud ſigillatim, eaque in re omnem incuriam arbitretur eſſe culpabilem.

17. Tribus mappis ara quælibet inſternatur, quarum extrema, & ſuprema in utrumque latus prolixiùs defluat.

18. Secus Altare humilior menſula conſtruetur, ubi Miſſarum tempore urceoli vitrei, vel pro more loci alterius materiæ cum operculis, & lance ſuppoſita ad ſacrificii uſum proſtabunt; ſicubi verò congelationis periculum timeatur, poterunt urcei oportuniore loco reponi.

19. Oleum Sacrũ ad Unctionis extremæ miniſterium Sacriſta decenti vaſculo incluſum in aliquo altaris receptaculo jugiter aſſervabit, quotannis recentiore mutandum.

20. Præſto habeat Pixides ex argento ad minùs duas; alteram aſſervandis in Tabernaculo plurimis conſecratis hoſtiolis; alteram deferendis è ſacrario ad Altare hoſtiolis conſecrandis, quas crebrò, accuratèque detergat, ne ob Sacriſtæ incuriam reliquias deperire contingat.

21. Major hoſtia reſervetur in Tabernaculo, vel in ſupplicationibus geſtanda, vel ad orationem publicè proponenda, quæ thure adhibito juxta Ordinarium renovetur.

22. Ad ſuffitum in Eccleſia excitandum paſtillos comparet odoratos, qui nihil tamen profanum redoleant.

33. Flores pro tempore, vel nativos, vel fabrefactos, per vaſcula eleganter diſpoſitos ornandis Aris adhibeat.

24. Aras Minores ad Majoris normã conveſtiet, ſed non paritèr exornabit.

25. Mappas Altarium velo aliquo obtegat,

Digitized by Google

tegat, Majoriſq; Aræ ſuppedaneum tapete ſimplici operiat, & ſordidum, ac pulverulentum quotidiè tergat, excutiatque.

26. Anathemata, ſeù tabellas votivas, & quæcunq; id genus donaria per ipſos templi parietes concinnè diſtribuat: ſi quid verò extiterit indecorum, amoveat.

27. Sedes Confeſſariorum, Pulpitum, Templi angulos ſæpè mundet, parietes verò quoquo menſe.

28. Linteamina, quæ communicantibus prætenduntur munda ſint, & ſufficieutèr prolixa, ſed & Vaſa, quibus porrigitur ablutio, ſolertiſſimè repùrgentur.

29. Omnem deniq; tàm Sacrarii, quàm Eccleſiæ, locorumq; adjacentium cultum, & apparatum, pro modulò ſtatus noſtri, curet, inſtauret, provehatque: tametſi enim nobis tantùm ſpectatis, præponimus vilia pretioſis; Cæterùm quod ad Chriſti Domini cultum, præſertim Euchariſticum, pertinet, licet non rerum pretia, ſingularem tamen munditiem, elegantiam, nitoremque par eſt nos etiam æmulari.

30. Quò ad Miſſarum, ac temporis diſtributionem pertinet, det operam, ut nunquã

ſacra deſiderentur,nec nihilominùs plures celebrent uno tempore, & Sacerdotes fratreſque miniſtraturos pervigilet accerſiri diſcretis, decretiſque temporibus juxta ſeriem tabellæ regularitèr.

31. Miſſarum nnmerum,quæ à noſtris dicuntur, ſingulis menſibus referat Superiori, & in Codice,in quo Miſſarum eleemoſynæ deſcribuntur, eorum quoque nomina ſubnotentur, qui alicujus momenti eleemoſynas tradidere.

32. Sacerdotes externos peculiari excipiat cum ſuavitate, quæratque leniter ab ignotis literas dimiſſorias;mox incunctantèr unicuiq; mundos exhibeat apparatus.

33. Si quando autem Prælati,Epiſcopi, aut viri alii clariores acceſſerint,ex arculis meliora depromat.

34. Erit perpetuò in Eccleſia, ſacrarioq; ſilentii, gravitatis, modeſtiæ cuſtos pertinax, & exactor, mulieréſq; percuſſo cymbalo aliquid expoſcentes cautè audiat, breviſſimèque dimittat.

35. Cura pervigili univerſa cuſtodiat; ne ſurripientium manùs incurrant; cum verò aliò ſibi fuerit divertendum, alteri cuſtodiam delegabit. 36.Mul-

36. Multa inſuper ex Rituali noſtro ad ſepeliendos mortuos, & alia ſcitè obeunda condiſcat; ſine quibus officium ſuum ritè exequi non valebit.

37. In unoquoq; Altari duo, ut minimùm candelabra, & Crucē, & duas tabellas collocabit, alteram ſacri Convivii, alteram verò Evangelii Sancti Joannis.

38. Secus Altare in cornu Epiſtolæ candelabrum conſtituat, & ſuper eo majorem cereum, qui de more ad elevationem poſſit accendi.

39. Candelas, cereoſq; ſervabit, & in Eccleſiæ uſus pro temporum exigentia ſuccendi, ea lege diſponet; ut in majori Altari, feſtis primæ, & ſecundæ claſſis ad Miſſam ſolemnem, Veſperas, Matutinum, cum totum canitur, ſex candelæ accendantur; diebus aliis ad Miſſam, & Veſperas tantum duæ.

40. Quotidie ſub noctis initium clauſis foribus Eccleſiam totam perluſtret, ne ſive dolo, ſive fortuitò intus aliquis deliteſcat.

41. In aperiendis, operiendiſq; valvis Eccleſiæ, horas à Ptiore ſibi præſcriptas

obſervet ; cum tamen claudendæ fuerint , nullo, etiam charitatis,obtentu mulierem aliquam intus remanere permittat .

42. Exequetur autem ſemper prædicta omnia pro Superioris arbitrio .

INSTRUCTIO JANITORIS.

1. OMnium certè Officialium , ſed maximè janitoris habendus delectus eſt : quia cum ſæcularibus frequentiſſimè congreſſurus , Congregationis bono nomini, aut multum proderit, ſi virtute ſit præditus ; aut ſi minus , neceſſe eſt non mediocriter obſit .

2. Plerumq; Janitor ſit Choriſta, prudens,modeſtus, moribus perſuavis,nõ admodum adoleſcens ; ut ſi cum aliquo noſtram Congregationem ingredi meditante agendum fuerit, cautè utiliterq; ſe gerat .

3. In præcipuis quibuſque Conventibus , ubi Secularium ſolet eſſe major frequentia , Superior duos Janitores præficiat, quorum altero ultrò , citròque commeante , expoſtulata renunciet , alter à janua non recedat .

4. Cum

4. Cum primùm aliquis Fratrum Valvarum cuſtodiæ à Superiore præfigitur, in cellam Januæ adjacentem ſe recipiat, nec inde ad alia obſequia, niſi cogente neceſſitate divertat.

5. Si quando tamen divertere ſit neceſse, apud alterum à Superiore ſufficiendum claves deponat.

6. Mox ut Campanulæ ictum, ſeù quendam obedientiæ nutum excipit, feſtinanter accurrat.

7. Antequam fores aperiat, per oſtiolum modeſtè diſpiciat, & mulieres oſtio clauſo citò dimittat: ſimiliter viros quos admittere opus non erit.

8. Accedentibus nunquam durè, aut prolixè nimis, ſed ſuavitèr & parcè loquatur: egenos autem reſponſis leniſsimis conſoletur.

9. Viris eximiis præſertim Eccleſiaſticis, & potiſsimè regularibus inſigni dimiſsione, & reverentia oſtium patefaciat: Sed & Cardinalibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis introeuntibus genuflexus manum, veſtemve deoſculetur.

10. Honeſtos viros comiter invitabit, ut

Digitized by Google

interim ſi maluerint, ex propinquioribus cellulis aliquam ſubeant, & recumbant, dùm Religioſi, quos poſtulāt, accerſantur.

11. E conſpectu Ianuæ receſſurus, oſtiū patens, aut clavem oſtio inſertam, ſive alibi inconſulto expoſitam non relinquat.

12. Eleemoſynas, quæ gregatim pauperibus dari ſolent, loco, ac tempore deſignatis diſtribuet, mulieribus ſēper excluſis. Quæ tamen diſtributio convenientiùs fieret ad eam portam, qua currus, & onera inferuntur, nec à Ianitore, ſed alio per Superiorem ſufficiendo, ſine cujus licentia, nullum ſinat intra Ianuam veſci.

13. Loca oſtio vicina, quoties viderit ſordidata, non expectato communi verritionis die, ſolicitè repurgabit.

14. Impensè curet, ne vultu illiberali, aut reſponſo parùm religioſo offendat aliquem venientium, qui ſi acceſſerint, quando Fratres circa meridiem recreantur, aut cubant, id, & ejuſmodi, quorum juſtas cauſas ſeculares ignorant, iis minimè indicabit, ſed per induſtriam ſatisfaciens poſtulatis reſpondeat: Fratres eo tempore ſeriò occupatos advocari non poſſe, aut

ſi res

ſi res urgeat, Superiorem admoneat.

15. Sacerdotibus noſtris, dum ſe ad ſacrã Synaxim parant, aut jam peracta gratias agunt, Ianitores nihil denuncient, niſi urgente neceſſitate, ſed aliquantulum ſuperſedeant, ne ſubitò à divinis avertant.

16. Neminem vocet ad exteros audiendos, nulliq; epiſtolas, aut res alias, vel etiam verba Salutationum ferat, referatq; præterquam annuente Superiore.

17. Ad eleemoſynas indigentibus tribuendas, præcipuè verò mulieribus, cõſulet ſigillatim Superiorem, neque charitatis prætextu ſine venia quidpiam erogabit.

18. Quovis tempore ab extraneis Religioſus aliquis poſtulabitur, Ianitor Superiori ſignificet, niſi quamdiù Fratres orationi, & horis Canonicis interfuerint, Superior jubeat, ut externos urbanè commoneat, non eſſe apud nos conſuetudinem, Religioſos Deo vacantes levi de cauſa interpellare. Quod ſi nihilominus inſtent, Superiorem certiorem faciat.

19. Seculares, aut Religioſos extraneos abſq; Superioris cõſenſu, ad interiora Cœnobii, maximè hortos, & dormitoria non introducat.

Digitized by Google

20. Patienter ferat moleſtias externorum: nec citra Superioris conceſſum, cum aliquo eorum, niſi breviſſimè, verba faciat.

21. Eleemoſynas, & eas nobis erogantium nomina quotidie poſt collationem, aut cęnam in Refectorio à Superiore, vel eo qui præeſt requiſitus enunciet, ut pro eis oretur, niſi hoc alteri iniungatur.

22. Officio in dies peracto, & januis accuratè clauſis, in Superioris cella prima nocte claves reponet, & ſummo mane ad eas aperiendas, reſumet.

23. Navitèr curet, ut in locis portę propinquioribus congruū ſilentium teneatur.

Inſtructio ad exercitia Spiritualia.

C A P. I.

Modus explorandi, ac regendi eos, qui exercentur ad peccatorum expiationem per Confeſſionem generalem.

1. QUemadmodum iis, qui ad convaleſcendum, vel ad ſanitatem tuēdam à medicis inſtruuntur; pro diver-

diverſa corporis habitudine exercitia quoque diverſa, vel certè, ſi generis ejuſdem ſint; diversè tamen temperata præſcribuntur: ità & iis, qui à peccati morbo liberare, vel acceptæ gratiæ ſanitatem perficere cupiunt, exercitia diverſa pro ſpirituali cujuſque temperamento præcipienda ſunt.

2. Manifeſtiùs eſt quippe, quam ut rationibus exponendum ſit; alios vitiis inæqualibus obnoxios; alios ad virtutes inæqualiter propenſos; alios amore, alios timore agi ſolitos, æqualibus, ejuſdemque formæ exercitiis juvari non poſſe.

3. Primùm ergo, qui exercendorũ curam gerit; eum qui ſe exercere parat, exploret in quem ſcopum exercitia dirigat, & qua ſpirituali habitudine ſit affectus, exquirat.

4. Si enim ad hoc exerceri velit, ut à peccatis ſacra Confeſſione generali expietur, & pacata conſcientia impoſterum vivat; nulla ei oportuniora exercitia præſcribi poſſunt, quàm ſi rectam, brevemque faciendi examinis rationem, modumq; veræ contritionis concipiendæ doceatur.

5. Et quidem quod ad examen attinet:

De-

Digitized by Google

Decalogi capita, quaſi totidem loci communes ſunt, in quos cogitationes, verba, opera, & omiſſiones, quę ad unumquodque præceptum ſpectant, conferenda ſunt, quemadmodum in pleriſq; piis opuſculis, quæ paſſim lectitantur, ſatis aptè traditur.

6. Quod verò ad contritionem pertinet, quod minus tutum, & magis eſt neceſſarium, quæri debet, quale ſit cujuſcunque ingenium. Etſi enim univerſis, qui de Pœnitentia cogitant, communes rationes ex ſe quidem efficaces, quas vulgò Authores tradunt, in Novitiorum Inſtructione cap. de pœnitentia, inveniet director, ſalutares ſint; Quia tamen ex variis hominum affectibus frequenter accidit, ut iis rationibus acriùs excitentur, quæ non tam ad rem pertinere, quàm extrinſecus afficere videntur, nihil niſi expenſo hominis cujuſque ingenio prudenter decerni poteſt, ut ſubiecto liquet exemplo.

7. Sunt plerique adeò metu mortis exagitati, ut ſive conſcientia per confeſſionem ſacram purganda; ſive conceptus Dei timor alendus, ſive virtus acquirenda, ſive denique quidpiam aliud boni tentan-

dum,

Digitized by Google

dum, malivè vitandum ſit, ſola mortis meditatione moveantur.

8. Alios è contrario cæleſtis Patriæ recordatiò, ad peccatorum deteſtatiouem, & aliorum bonorum operum executionem fortiùs, quàm quælibet nervòſa ratio, vel pia meditatiò movet. Atque in hunc modum de aliis diversè affectis cenſendū eſt.

9. Explorato igitur hominis ingenio, ea meditatio ad concipiendum dolorē iniungenda eſt, quam efficaciòrem experitur; ut per ſtatas orationis horas eam exerceat, donec confeſſionis opus abſolvat.

11. Quod ſi proprii ingenii rationem reddere neſciat, (multi enim ſeculi rebus intentiſſimi, à ſe ipſis ex incuria, vel aliis modis alieniſſimi, rogati, qua meditatione potiſſimùm afficiantur? rem diſcernere neſciunt) rogandi ſunt: an ſaltem inter pura ſpiritualia, puta Dei bonitatem, miſericordiam, &c. & ſenſibilia, puta infernum, mortem, &c. aliquod in ſe ipſis affectus diſcrimen deprehendant?

11. Alios enim Dei bonitas, miſericordia, &c. ad quevis pia opera flectunt, alios nihil ſpirituale cogitare valentes, ea tamē

per-

Digitized by Google

permovent, quæ imaginatione figurantur, pro quorum diſcrimine præcepta tradēda ſunt, ut ſcilicet ea meditentur, unde ſe fructum elicere poſſe, prudentèr coniiciunt.

12. Si verò neque diſcrimen hoc rerum ſpiritualium, corporaliumque percipiant, ſed bono dumtaxat animo ſint, juxta communia virorum ſpiritualium præcepta erudiendi ſunt, ut ſcilicet communes rationes ad pęnitudinem concipiendam oportunas expendant, & ex animo peccata execrari conentur.

13. Oratio ergo, piaque lectio, aliique actus, dum generalis confeſſio fit, ad culparum deteſtationem dirigantur. Quod verò ad actus alios, quod ad tempus, numerum, & modum attinet, ſeorſim in tertio Capite trademus.

C A P. I I.

Modus regendi eos, qui ad majorem profefectum exercentur.

1. EAdem præcepta erga eos, de quibus Cap. proximo ſcripſimus, quò ad

ad animum & propenſionem cujuſque ſcrutandam obſervanda ſunt. Conſtat enim, & horum mores diverſos eſſe, alios ad omne pium opus amore, alios timore præſertim moveri, quapropter primùm de affectu proprio, ac exercitiorum fine rogandi ſunt.

2. Si enim proficere ſe velle dicant, & è quibus meditationibus fructum uberiorem percipiant, Patri à quo regendi ſunt compertum ſit, & locum, & tempus, & pios libros, actuſque cæteros ad profectum oportunos prudenter ſeligere, difficilè non erit.

3. Si verò de ſtatu Religionis deliberare velint (qui uberior profectus eſt) cum jam eo ipſo, quod de re tanta conſultent, rationibus, quæ Religioſi ſtatus perfectionem oſtendant, proculdubio indigeant, & oratio, & pia lectio ea ſit oportet, quæ ad tanti boni cognitionem, & amorem, animum excitare valeat.

4. Qua in re cavendum eſt, ne quid violentum fiat: etſi enim eos, qui ſpiritualem profectum exquirunt, quin & univerſè quoſvis idoneos ad Religionis ſta-

tum

tum hortari decere è SS. Patrum exemplis, ac doctrina pateat; quia tamen affectatum in hoc genere artificium humanum quid præſefert, ſalubriùs eſt eos, qui exerceri cupiunt, ſuavitèr ducere.

5. Suavitas autem in hoc ſita eſſe videtur, ut qui eos regit, non inſtet nimis acriter, non oneret animum importunis, aut multiplicibus conſiliis, nullum ejus conſenſum, vel diſsenſum extorqueat, aſperitatem verborum, & actuum vitet, pœnitentiæ opera, puta jejunia, vigilias ex viribus attemperet, idque potiſſimum curet, ut quidquid ab iis qui exercentur præſtandum eſt, ſpontè naſcatur.

6. Juxta ergo hanc doctrinam, qui de religione non agunt, ſed profectum aliquem exquirunt, niſi mutato conſilio ex iis, quæ cernunt (ut frequentèr accidit) in Religionis ſtatum aſpirent, quod vel non rogati, vel ſuavitèr admoniti ſignificare ſolent, liberrimè agere ſinantur, & inſigni cum hilaritate ſic inſtruantur, ut ad proprias ædes reverſi, quod didicerunt, conſervent.

7. Si verò de aliqua Religione ſeli-

genda

genda conſultent, ſtatus noſter ita eis ſyncerè proponatur, ut ſi in aliam religionem reformatam propendeant, propoſitum commendetur ex allaturis: ſic enim fiet, ut qui apud nos remanſerint, non humanis conſiliis, ſed Spiritus Sancti ductu agantur, & firmiùs perſeverent.

CAP. III.

Diſtributio horarum, & exercitiorum.

1. QUicunque exercendi ſunt, niſi ex aliqua peculiari cauſa, puta infirma valetudine, vel generalis Confeſſionis examine aliter fieri expediat, ad horas omnes Canonicas, & orationem mentalem, unà cum Patribus ab aliquo Fratre deſignato vocati conveniant.

2. Poſtquam ergo Matutinum nocte media cum aliis, vel juſta cauſa ſeorſum recitaverint per horam dimidiam orationi vacabunt.

3. Recedent mox ad quieſcendum, donec ad orationem matutinam excitentur.

Digitized by Google

4. Deinde hora integra in Oratorio cum Fratribus orabunt.

5. Si non ſint Sacerdotes, paulò poſt orationem unà cum Fratribus, vel ſeorſim Miſſæ intererunt; ſi Sacerdotes ſint, oratione peracta per dimidiam horam, ſe ad ſacrum faciendum comparabunt, & ſi expedire videbitur, confitebuntur; & hora circiter dimidia ſacrum in Oratorio facient: Sacro audito, vel facto, in Cellas ſe recipiant, & Sacerdotes ferè per horæ quadrantem gratias agent.

6. Reliquum tempus, quod uſque ad Chori ſignum procurrit, in Oratione, ac Lectione pia ita inſument, ut otium non poſſit obrepere: ne verò nimia mentis intentio noceat, orationem lectioni admiſcere, ac dum ſe intus moveri ſentiunt, interquieſcere, poſteaque lectionem repetere poterunt, ut animus ea varietate recreetur.

7. Signo Chori dato, ad majorem Miſſam ubi canetur, vel ad horas Canonicas ante prandium recitari ſolitas convenient, quibus unà cum examine conſcientiæ abſolutis, in cellas recedant,

ibi

Digitized by Google

ibi poſt modicum tempus pranſuri.

8. Expleto prandio, vel ſoli, vel cum aſſignato comite per horam circiter mediam manebunt, ac de ſpiritualibus rebus cum comite verba facient.

9. His peractis, ſi velint, ſomno aliquantulum indulgere poterunt, donec ſignum Chori detur; poſt hæc in Chorum ad Nonam, ſeù Veſperas, pro temporum diſcrimine conveniant, & à Nona expleta uſque ad Veſperas, vel ſi Nona ante prandium recitata fuerit, peractis Veſperis, Beatiſſimæ Virginis Coronam recitabunt; & ſi Superiori videbitur, qui in Conventu Novitiatus exercebuntur, exhortationi Fratrum inteteſſe poterunt, ſed valde raro, & re benè penſata, perſonæque exercentis habita ratione fiat, idque monito priùs Magiſtro Novitiorum.

10. Reliquum tempus, quod uſque ad veſpertinam orationem excurrit, Orationi, ac Lectioni, ut ante prandium præſcripſimus, impendent.

11. Dato orationis ſigno, unà cum Fratribus per integram horam orabunt, & Completorium, ſi tempus ex more noſtro

Digitized by Google

id poſtulet, perſolvent, in Cellaſque redibunt, aut ſi Completorium tunc recitari non debeat, in Cellas abſoluta oratione, ut ante prandium monuimus, ſecedent.

12. Cœnam deinde, aut Collationem ſument, & ſi tempus id ferat, cum comite quemadmodũ de pomeridiano Colloquio præſcriptum eſt, aliquantulum agent, aut ſi tempus ſilentii nocturni acceſſerit, in Cellas recedent, vel in Chorum ad Officium, quod tunc fortè recitabitur, convenient.

13. Si ultimo Chori actui interfuerint, ibi; ſin verò, in Cellis ſeorſim examen Conſcientiæ facient, expectabuntq; Orationi, vel piæ Lectioni vacantes ſolitum cubandi ſignum, quod Fratribus datur.

14. Signo dato cubabunt, & uſque ad noctem mediam quieſcent, poſtmodumque ſingulorum dierum actus quales præſcripſimus, ad eundem modum, numerum, & tempus exercebunt.

15. Quæ omnia juxta directoris prudentiam, ejuſque qui exercetur diſpoſitionem, committentur.

CAP.

Digitized by Google

C A P. IV.

Actum Pœnitentiæ Modus.

1. CUm exploratum ſit, eos qui ſpiritualiter cupiunt exerceri, aliquem corporis macerandi modum inire velle, neceſſe eſt, ut in hoc etiam genere inſtruantur.

2. Excepta ergo infirmitatis, vel alia ejuſmodi cauſa, diebus illis, quos exercitiis deſtinaverint, ſemper jejunabunt: habebitur tamen ratio Spiritualium exercitiorum; nam ſi caput debilitate laboret, poterit Veſpertina refectio quò ad quantitatem augeri, aut ſi expedierit ad confirmandas vires, jejunium ſolvi.

3. Ter ſaltem in Hebdomada, juxta communem Fratrum noſtrorum diſciplinam ſe verberabunt per aliquod breve ſpatium.

4. Cilicio quotidie, vel alternis diebus utentur, & expenſis viribus, citiùs, breviùs, aut longiùs, latiùſque Cilicium permittetur.

Digitized by Google

5. Poterit etiam Catenula ferrea, qua Fratres noſtri uti conſueſcunt, eis Cilicii vice permitti, prout ei à quo reguntur videbitur expedire.

6. Victus ſit parvus, ut non modò frugalitas, ſed abſtinentia colatur: Somnus item ſit moderatus, ut plus temporis paucis iis exercitiorum diebus, divinis rebus tribuatur.

7. Sunt alii quoque actus parùm laborioſi, & ad excitandum affectum appoſiti, ut proſtratio, genuflexio, extenſio brachiorum in Crucis modum, & alii apud nos uſitati, quorum certum aliquem numerum in dies ſingulos, iis qui exercebuntur injungere, ſalubrè conſilium erit.

8. Omnia tamen, quæ in hoc Capite recenſuimus, quia iis qui mortificationem Crucis Chriſti nondum didicerunt difficilia videntur, ita temperanda ſunt, ut à melioribus bonis, hoc eſt animi correptione, futurique progreſſus propoſito, teneros milites non deterreant, proptereaque is qui exercitiis præerit, ea pro perſonarum, circumſtantiarumque ratione lenire debebit.

CAP.

Digitized by Google

C A P. V.

Modus examinandi, & juvandi eos qui exercentur.

1. MUlta ſunt ex ſe quidem vtilia, quibus ſi modus deſit, nil propemodum emolumenti afferre ſolent.

2. Pater ergo, qui exercitiis præerit, eos qui exercebuntur quotidie viſitabit, & quomodo in Oratione, pia Lectione, Mortificatione, aliiſque peculiaribus exercitiis ſibi iniunctis ſe geſſerint? rationem exiget, ac de iis culpis, quas admiſerint, eos ſuaviter admonebit, & modum proficiendi ut ſtatim dicemus, per capita demonſtrabit.

3. Dabit operam, ut benè perceptis iis de quibus interrogati reſponderint, exercitia omnia in majorem ſpiritualis vitæ profectum dirigat, ita ut quæ tunc ediſcunt, ſive de religione cogitent, ſive non, quàm diutiſſimè ſervent.

4. Quod ad orationem mentalem attinet juxta Compendium in Novitiorum

Digitized by Google

inſtructione diſpoſitum, eos erudiet, eniteturque, ut ſi ad ſæculum redituri ſint, firmiter ſtatuant, diem nullum ſine oratione ſaltem modica, puta horæ dimidiæ, vel circirèr præterire.

5. Quod ad piam Lectionem ſpectat, modum ſedatè legendi, & ubi movetur animus ſubſiſtendi, ac propoſitum diem nullo tam ſalutari paſtu, qualis eſt ſacra Lectio, animam privandi, perſuadere curabit.

6. Modum, opera, verba, & cogitationes ſummo manè in Dei, ac Beatiſſimę Virginis gloriam dirigendi, eamque directionem aliquoties per diem repetendi docebit, & examen Conſcientiæ, antequam cubitum eant, commendabit.

7. Modum actus Fidei, Spei, Charitatatis, & Contritionis eliciendi docebit, & ad quotidianum eorum exercitium adhortabitur. Quæ autem ad virtutem actus producendos, & virtutes ipſas, mortificationemque paſſionum ſpectant, ex noſtra Novitiorum Inſtructione peti poterunt.

8. Sed quod ad mortificationem pertinet, hortabitur ſeriò, ut proprium judicium,

Digitized by Google

cium, appetitumque ſubjugare, in rebus etiam minimis aſſueſcant: etſi enim viri Illuſtres ſint, & pro ſæculari abuſu pretioſis veſtibus, & lauta menſa quotidie utantur, in ipſis tamen conviviis, ſine ulla cęterorum nota, proprio appetitui multa delectabilia ſubtrahere; ac ſpirituali merito corporales dapes condire valebunt; & eodem proportionaliter modo de honoris, & commoditatum mortificatione monendi, ac peculiaria munimenta adverſum eam paſſionem, qua graviùs infeſtantur, paranda ſunt.

9. Conſilium autem hoc, tanti profectò ponderis eſt, ut qui ex profeſſo illud arripuerit, inter medios ſæculi fluctus Chriſtianam perfectionem fœliciter comparare valeat, nullo prorſus ſęculari, etiam Principe quantùmvis negotiis intento, vel milite, vel mercatore excepto.

10. Inter omnia verò exercitiorum lucra, Sacramentorum frequentia potiſſimùm colenda eſt; ſi enim hæc ſeriò decernatur, profectum ſpiritualem ex ſententia ſucceſſiſſe credendum eſt, omnia quippe vitia, puta jurandi, edendi, vagandi, lu-

dendi

dendi licentia, & quivis alii peccatorum præteritorum habitus extirpabuntur. Nam præter Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ vim, ad eam victoriam potiſſimùm ſubeſt familiaris ille ad Confeſſarios recurſus, unde conſilia oportuna, & quotidiana remedia referuntur.

11. Verùm non hic ſubſiſtendum eſt; ſed pietatis operà, puta, Eleemoſynæ, ſacræ Stationes ſive Indulgentiæ, Hoſpitalium viſitatio, & ejus generis alia impensè commendanda ſunt, in quibus omnibus enitendum eſt, ut qui exercentur, proficere ſtatuant, & aliquem certum proficiendi modum per totius vitæ curſum tenere decernant.

12. Hic autem de domeſtica gubernatione, de pace, de benignitate, de reddenda famulis mercede, aliiſque ſimilibus agendum non eſt; hæc quippe neceſſaria cum ſint, ab iis qui ad meliora proficere cupiunt, obſervari ſupponimus; quæ ſi & his monitis egeant, unà cum aliis tradenda ſunt.

CAP.

C A P. V I.

Cætera neceſſaria ad obſequium eorum qui exercentur.

1. CONfeſſarius iis, qui exercentur, à Monaſterii Superiore aſſignabitur, expenſo perſonarum ſtatu, ac neceſſitate; decet autem eum à quo reguntur, niſi gravis neceſſitas obſtet, eo munere fungi.

2. Qui exercitiis præerit, libros pios, chartam, cæteraque neceſſaria ad ſpirituales actus providebit.

3. Deſignabitur prætereà Frater aliquis prudens, qui vaſa mundet, Cellæ pavimentum verrat, prandium ad Cellam ferat, eoque ſupra menſam parato, recedat. Poſtea verò antequam recreatio terminetur, lances referat, & omnia munda, ac benè diſpoſita relinquat, nec unquam prandenti aſſiſtat, ac ex animo quò ad res corpori neceſſarias illi deſerviat.

4. Denique, quia res variæ paſſim occurrunt, quæ ab humana providentia pręnoſci

noſci nequeunt, ideò quæ dicta ſunt in omnibus hujus Inſtructionis Capitulis, juxta Superioris ductum, & prudentiam ordinari moderarique poterunt; & cum quid acciderit, cui per hanc Inſtructionem proviſum non ſit, qui exercitiis præerit, Superiorem conſulat, eique obtemperabit. Quin etiam tametſi nil novi evenerit, de omnibus illum certiorem faciat, ejuſque conſiliis acquieſcat.

C A P. V. I I.

Modus in excrcitiis Fratrum noſtrorum obſervandus.

1. QUod in ſuperioribus Capitibus erga alios universè præſcriptum eſt, à Fratribus noſtris, cum de Superioris venia exercebuntur, obſervari debebit, exceptis iis quæ ſtatum ſęcularem concernunt.

2. Quapropter qui eos reget, perinde ingenium explorabit, meditationes congruas aſſignabit, quotidie illos viſitabit, culparum quaſcunque admiſerint rationem

nem exiget, admonebit, ad majorem profectum diriget, tempus in horas diſtribuet, pœnitentiæ opera præſcribet.

3. Ergo director hoc unum teneat commune præceptum, ut longè uberiorem à noſtris, quàm ab extraneis quærat profectum, non ex auſteritate corporis, quæ tam facilè amittitur, quàm paratur, ſed morum ſeria immutatione metiendum: ut conſtantiſſimè transferatur loquacitas in ſilentium, procacitas in modeſtiam, orandi languor in ardens meditandi ſtudium, vitia denique in virtutes.

4. Hoc certè monitum tanti faciendum eſt, ut non æſtimari aliud vel ſublimius, vel compendioſius debeat, cujus neglectu, imperitiavè non paucis hæc exercitia parùm ſalubriter cedunt, nec rarò etiam inutiliter: Quare hoc monitum impenſiſſimè commendamus.

5. Si fuerit intra ſepta Cœnobii eremitorium aliquod ſegregatum, ibi exercitia peragenda ſunt regulariter. Qui verò ad ea ſeceſſerit, Miſſam quotidie ſi ſit Sacerdos, ſedatiùs celebret; non Sacerdos, attentiùs audiat, ubi facilè factu erit,

& in-

& in Oratorio eremitico, mentalis orationis, Officiique divini commune penſum perſolvat, oret etiam ſemihora poſt Matutinum, diſcutiat conſcientiam, quotieſcumque inſonuerit campana Conventualis, ipſe percutiat Eremiticam: demum obeat univerſa eo prorſus tempore, quo in commune à Fratribus intra Cœnobium obeuntur.

6. Refectione in Cella ſemper accepta, meridianæ, aut ſi habeatur, veſpertinæ recreationis hora, loci hortulum perambulabit, aut manibus quidpiam operabitur, vel ſi maluerit pium aliquid lectitabit, magis hiſtoricum, quàm pertinens ad orationem, ne caput lædatur; mox ſomno parciùs indulgebit.

7. Nemini præter Superiorem, directoremque loquatur, ſi quid autem opus habeat, ſcripto, nutuvè tacitè indicet miniſtranti, qui perinde nutibus, aut per atramentum ſi poterit, reſpondebit; interdiù verò ſi quid acciderit neceſſarium, quod in meridianum, aut veſpertinum miniſtri acceſſum differri nequeat, binis vel ternis campanæ ictibus eum admoneat,

qui

qui ad Eremitorium properans, quæ opus erunt exactè præſtet, ideoque ejuſmodi miniſterio Religioſum ſedulum, ac modeſtum Prior præficiat, qui hora examinis Conſcientiæ meridiani, & veſpertina oratione abſoluta, prandium, cœnulam, seù collationem oportunè deferat exercenti, redeatque illicò communem refectionem ſumpturus. Poſtmodum ſub recreationis finem, rurſus Eremitorium petat, illatoſque lances, accepto cibo ab exercente compoſitos, & ſecus fores depoſitos, expeditè referat ad Cœnobium.

8. Seceſſurus ad exercitia, eiſque poſtmodum abſolutis Cœnobium repetens, benedictionem Superioris accipiat.

9. Non divertat ab exercitiis, niſi ex magna cauſa avocatus. Ad Capitulum verò Conventuale, ſi quod in eo negotium, aut ſi quis fortè Novitiorum proponi debeat, accerſatur; ſed utroque caſu, donec exhortatio, culparumque correctio terminetur, Capitulum non ingrediatur.

10. Si nullum hujuſmodi Eremitorium ſit in Cœnobio, fiant exercitia in

aliqua

aliqua Cellula ſeparata, & Sacerdos quidem, ſacrum faciat, non Sacerdos, audiat in Oratorio ſecreto, ſi commodè fieri poſſit.

11. Quod attinet ad communes actus frequentandos, aſſentiatur Superior exercendorum propenſioni: Capitulo tamen Conventuali præterquàm in prædicto caſu non intervēniant. Communi recreatione abſtineant, nec in Refectorio, ſed in Cella ſeorſim, aliquo ut ſupra deferente, cibum accipiant.

12. Silentium diſtrictè cuſtodiant, etiam cum Religioſis ad eorum miniſterium deſtinatis.

13. Licet præcipuus exercitiorum fructus in interiori homine ſit querendus, externæ tamen auſteritates, pœnitentiæque cupientibus exerceri pernéceſſariæ ſunt. Quapropter toto exercitiorum tempore, tametſi juxta regulam tunc alioqui non tenerentur, eos tamen, exceptis Dominicis, conſentaneum eſt jejunare; diebus etiam quibus cæteri in commune non verberantur, ſibi diſciplinam infligere, alioſque pœnitentiæ, & mortificationis

actus

actus implere; Fratres quoque frequentiùs, & nonnunquam quotidie communicare, ſed nihil horum, niſi ductu Superioris, vel directoris, cui à Superiore committitur, exequantur.

14. Exercitiorum tempore, moris eſt mortificatione aliqua extraordinaria perfungi, quæ propterea ab unoquoque exercentium fiat, ſed tantùm una.

Inſtructio ad Collationem Spiritualem ſexta quaque Feria peragendam.

1. AD Collationem Spiritualem qualibet ſexta Feria, juxta Conſtitutionem ſeriò exercendam, univerſi tàm Sacerdotes, quàm Fratres, etiam Novitii cum Superiori videbitur, in locum ad id præfixum conveniant.

2. Prior, & antiquiores Sacerdotes, eo maximè die recreationi pro viribus interveniant, ut eorum præſentia fiat Collatio fructuoſior.

3. Argumentum Collationis pium admodum, & ſpirituale, putà de oratione, mortificatione, & ſimilibus à Superiore,

riore, aliove cui demandaverit, tertia, vel ſequenti Feria publicè affigatur, quo illud legere univerſi, & Collationi ſe valeant præparare.

4. Ubi fermè recreationis dimidium, paulòvè minùs præterierit, Præſidens accepta argumenti Schedula, materiam conferendam pronunciet (quanquam ei liberum erit aliam quandoque proponere, & experimenti gratia, rogare aliquem circumſtantium, quæ ſit collationis materies? ut paratiores inveniantur) & quid quiſque ſentiat? ſigillatim interroget: Ipſe verò ſingulorum ſententias, abſque fuco & affectatione, breviter, utiliterque dilucidet, quod nemo alius faciat, niſi à Præſide requiſitus, vel niſi fortè Prælatus aliquis intervenerit, aut hoſpes adeò inſignis, ut ex reverentia, & urbanitate rogari à Præſide æquum ſit, ut collationem dirigat; qui ſi roganti non acquieſcat; pauca tamen ſubiicere ſi velit, poterit.

5. Fratres ſententiam requiſiti, ſi Prelatus præſideat, reſpondeant genuflexi; ſi verò alius, & præſes annuat, ſurgant, & ſedeant: At Sacerdotes quod moris fuerit obſervabunt. 6. In

6. In collationem res tantum piæ, morales, & ſeriæ inducantur: Curioſa quæque, & ſubtilia, aut Scholaſtica reiiciantur.

7. Hæc Inſtructio in aula Recreationis hyemalis, vel ubi Prior decreverit, affigatur.

Inſtructio ad rationem Spiritus, & Conſcientiæ Superiori reddendam.

1. INtelliganr ſinguli conſcientiæ rationem Superioribus reddituri, quanti duxerit id momenti S. M. V. Thereſia, ad vitanda tentationum diſcrimina, ad conciliandam ſibi majorem Superioris induſtriam, diligentiam, amorem, ſolicitudinem, denique ad uberiorem fœlicioremque in ſpiritu, & virtute proventum.

2. Quamobrem poſt Sanctiſſimum ejus obitum, quendam alumnorum ſuorum ſic per viſum affata eſt: *Ad obſervantiæ regularis perfectionem ſummoperè pertinet, ut interioris hominis ratio Superiori exactè*

reddatur, Conſtitutioque ſervetur. Cum hac in re cœperit defectus obrepere veri ſpiritus, & Religionis noſtræ fervor minuetur, pariter ac deficiet.

3. Tota verò aperiendæ conſcientiæ ratio in ſubiecta fermè capita diſtribuitur, ex quibus cum ea retulerint, quæ ad plenam ſui manifeſtationem dicenda eſſe intellexerint, exactiùs à Superiore poſtulent explorari: Si quid ille arbitretur, ad majorem Dei Gloriam, & ſui cordis omnimodam propalationem debere ulterius aperiri.

4. Hæc ergo venient in examen: An ſua unuſquiſque vocatione contentus vivat?

5. Quem exerceat obedientiæ cultum, illius maximè, quæ judicium, ratiònemque captivat, inſuper Caſtitatis, Abdicationis, aliarumque virtutum, aut quam præ cæteris ultrò diligat, & conſectetur?

6. An ſentiat ullas animi perturbationes, vel ſe acriùs aliqua tentatione pulſari; quis ei modus, quæ difficultas, quæve facilitas reluctandi; in quos affe-

ctus,

Digitized by Google

ctus, aut vitia ſit propenſior, atque incitatior?

7. Num contra Regulam, vel Conſtitutionem aliquam diſſeruerit, obfirmatèque judicium, aut ſententiam tulerit?

8 De Inſtituto noſtro, ejuſque mediis quæ uſurpamus ad Congregationis noſtrę finem utiliùs aſſequendum, quid ſentiat?

9. Quemadmodum ſit affectus erga ſpiritualia: Quamdiù orare conſueverit, & an prolixiùs, utiliùſque mentaliter, an vocaliter, & quem teneat modum orandi?

10. An uſu rerum ſpititualium, mentis devotio, oblectatioque augeatur, an verò tędium, ariditatem, animi divagationem perpetiatur, in iiſque omnibus, ut ſe gerat?

11. Quem fructum ex frequentatione Sacramentorum, examine Conſcientiæ, cæteriſque ſpiritualibus exercitiis capiat?

12. Vtrum poſt redditam conſcientię rationem plus, minuſve profecerit, & quem animum experiatur ad capeſſendam perfectionem?

Digitized by Google

13. Quàm ſeriò illa cuſtodiat, quæ ex Conſtitutionibus, Reguliſque non ſolùm communibus, verùm etiam propriis ſui officii ad ſe cognoverit pertinere?

14. Num frequentet mortificationes, pœnitentias, exercitationes alias ſpirituali profectui conducibiles; peculiariter verò qua ſit præparatione animi ad Chriſti Crucem, vel contumelias ejus amore perferendas, & horumne deſiderio aliquo teneatur?

15. Quantum ex Religioſorum converſatione ſecundùm Deum proficiat, & an alicui ſingulariùs ſit familiaritate coniunctus?

16. Num Fratrem aliquem, quamvis leviter averſetur, & quemadmodum erga Superiores afficiatur?

17. Quàm magno interdiù extra Dei præſentiam eſſe ſoleat intervallo, quamque in Orationibus jaculatoriis, aſpirationibuſque ſit frequens?

18. An utatur actuum directionibus, & oblationibus, maximè primo manè, & ad uniuſcujuſque actionis initium, ac in ipſa etiam actione (ſi longior fuerit) ut

Digitized by Google

ut in Inſtructione Novitiorum præſcribitur?

19. Certumnè numerum quotidie exercere meminerit parvarum mortificationum, & an interdiù, & oblivione prætermiſſas, noctu ſuppleat, antequam cubitum ſe recipiat?

20. An ſemel in anno juxta Conſtitutiones ad ſpiritualia exercitia ſeceſſerit?

Inſtructio Conferentiæ Caſuum Conſcientiæ.

1. Die ac hora, quas Prior decreverit, percuſſo cymbalo Sacerdotes omnes non Scholares (exceptis Prælectoribus cum lectio habenda eſt) In locum conferentiæ Caſuum Conſcientiæ deſtinatum conveniant, ubi præſes dicta Antiphona *Veni Sancte Spiritus*, & Oratione: *Deus, qui corda fidelium, &c.* dabit ſignum ſedendi.

2. Materię per Superiorem, vel nutu ipſius per alium deſignatæ, dubium unum, vel alterum parva Schedula adnotatum publicè affigatur poſtridiè ultimæ con-

ferentiæ, ut oportunè ſe comparent.

3. Cui dubium proponendum incumbet, quàm dilucidè pertractabit præcipuis tantùm auctoribus, rationibuſque validioribus allegatis.

4. Poſtmodum, ſi quis velit, circa doctrinam traditam, dubitandi magis gratia, quàm ſtudio contradicendi, aliquid percunctetur, cui reſpondeat regulariter, qui die illo materiam tractat, aut certè Præſes, vel alius cui Præſes iniunxerit; mox cęteri, ſi qui fuerint, ordinatè interrogent, iiſque pariter ſatisſiat.

5. Materiæ parùm pudicæ, generatim valdè, & modeſtè tractentur.

6. Abſtineant omnes à quacunque contentione, pertinacia, curioſitate, verborumque ad rem non attinentium redundantia, quæ omnia Præſes quàm ſolicitè removebit, idque ut fiat efficaciùs, hortamur Superiorem, ut conferentiæ præſens adſit.

7. Nemo quidpiam proferat ſine licentia Præſidis, nec promiſcuè plures loquantur, at ſigillatim, ſibique mutuò aurem præbentes: Dubia quoque nullus

Digitized by Google

definiat non rogatus, aut ſine venia: Demum quod alii propoſuerint, vel definiverint, nemo irrideat, aut parvipendat.

8. Si peracturus iniunctam dubii expoſitionem, quavis ex cauſa impediatur, tempeſtivè impedimentum aperiat, ut Prior alium ejus loco ſubſtituat. Cęterùm præfixæ materiæ integrè, & conſecutivè diſcutiantur.

9. Affigatur inſtructio, ubi per hyemem ſoliti erunt Patres conferre.

Inſtructio pro extraordinariis Mortificationibus.

1. QUi ad extraordinariam mortificationem ritè veniam habuerit, tempore examinis Conſcientię in loco ad hoc deſtinato ſe præparet, & antequam ſecundum ferculum cęperit miniſtrari, Refectorium ingrediatur.

2. Animadvertet Superior, ne mortificationes extraordinariæ coram extraneis fiant, niſi raro, & re prudenter expenſa.

3. Tametſi plures in uno prandio fieri

Digitized by Google

ri poſſint extraordinariæ mortificationes ; at cum publica confeſſione culparum una fiat.

4. In iis exercendis, antiquus uſus per omnia obſervetur, nec ritus novi, aut novi habitus inducantur. Semper tamen ſcapulariolum deferatur, & mortificatione abſoluta; qui eam exercuit, reſumptis prioribus indumentis, ad oſculandum Prę-ſidis ſcapulare illicò revertatur.

5. Facturi ejuſmodi mortificationes, profeſſi omnes, primùm Superiorem, Novitiique Magiſtrum conſulent, & præſcriptum ab eis modum tenebunt. At in Refectorio humi manducaturi, licet Superioris acceperint facultatem; hoc tamen Præſidi indicabunt; Præſes verò ſui Superioris licentiam non impediet: Illi verò qui habuerint ab aliquo Superiore pęnitẽtiam humi comedendi, etiam ſi in Refectorio præſideat alius Prælatus Superior, non eſt neceſse, ut hoc ipſi indicent, ſed dum Religioſi finita benedictione eunt ad ſedendum in menſa, tunc ipſi ſtatim in medium genuflectant, quod erit omnibus in ſignum, quod humi comedere debeant

beant in pœnam impoſitam à Superiore.

6. Nemo etſi proprias, occultas tamen culpas; quæ infamiam redolent, vel gravare aures diſcumbentium pervalent, manifeſtet; niſi accedente Superioris expreſſa venia; magna tantùm ex cauſa; & rei accurato examine concedenda; & abſque verborum prolixitate, artificiovè; humiliter, ſedatèque ſuos defectus, ac negligentias; & ſeriam emendationis mentem aperiat; Fratrumque orationes expoſtulet.

7. Quod attinet ad Prælatos, conſultum eſſet, ut Prælatus inferior ad mortificationem extraordinariam non intraret; niſi Prælato aliquo reſpectivè Superiore; ſi quis fuerit, Præſidente. Prælato itaque ad mortificationem ingrediente; Præſes ſi fuerit reſpectivè Superior, ſignũ faciat venienti: Sin minùs, reverenter innuat, ut loquatur, & ut moris eſt ſe de culpis accuſet. Poſtremò præſes (præſertim ſi fuerit ſubditus ejus, qui ſe accuſat) magna demiſſione, ac brevitate pauca excuſationis veriùs, quàm correctionis verba ſubiiciat; ejuſque pro ſe, cęteriſque omnibus preces flagitans,

gitans, & viciſſim communes omnium illi humillimè repromittens; poſt quę Prę-latus recedat.

8. Si Rev. Adm. P. N. Præpoſitus Generalis mortificationem peregerit, Definitor Generalis antiquior, tametſi non præſideat, fungatur tamen loquendi munere in hoc actu. Similiter Definitor Generalis antiquior eodem munere loquendi fungatur in hoc actu, quamvis non præſideat, ſi mortificationem exerceat alius Definitor Generalis, Procurator Generalis, vel Provincialis in ſua Provincia; prædictis autem ad mortificationem ingredientibus, & abſentibus à Refectorio Prælatis loco Superioribus, Prior Conventus reſpondeat, eoq; etiam abſente Definitor Provincialis antiquior, etiam ſi non præſideat; Priore verò Conventus ad mortificationem ingrediente, niſi adſit alius Superior Præſidens in Refectorio, hoc munus etiam præſtabit definitor Provincialis juxta dicta.

9. Quò ad aſſurgendum verò in mortificationibus culparum; ſi ingrediatur R. Adm. P. N. Præpoſitus Generalis, omnes

nes

Digitized by Google

nes aſſurgent, & ſtent ab ipſo ingreſſu uſque dum exeat è Refectorio. Id ipſum fiet ingrediente ad mortificationem aliquo Definitore Generali, Procuratore Generali, vel Provinciali in ſua Provincia, aut Priore in ſuo Conventu, ſi in Refectorio non adſit alius loco præcedens illum, qui mortificationem exercet, quia tunc ſolùm intranti & exeunti eſt aſſurgendum juxta regulas generales Ordinarii, ſicut aliis quibuſcumque Prælatis hoſpitibus, vel Definitoribus Provincialibus mortificationem exercentibus in omni caſu, dumtaxat in ingreſſu, & egreſſu erit aſſurgendum.

10. Quando Prælatus aliquis (quicumque ille ſit) alias mortificationes extraordinarias exercet ſine accuſatione culparum, ad Præſidentem ſpectabit facere ſignum ſervitori primæ menſæ, ut ipſum admoneat de fine mortificationis; Servitor autem id reverenter præſtabit, adiuvando Prælatum è terra ſurgentem.

11. Qui perſonam pauperis imitari voluerit, poſt primum ferculum miniſtratum Capucio, & ſcapulari exteriori depoſitis,

poſitis, rudi corda præcinctus, abſque ſandaliis regulariter (quanquam hyeme permittantur) & lancem præ manibus geſtans, circa medium Refectorii voce humili, & mediocri, ob Dei amorem eleemoſynam flagitabit. Mox ad eum, qui primo loco ſedet; inde ad ſecundum, tertiumve reverenter accedens, lancem porrigat genuflexus, & ſi quid detur, ſubmiſſa voce reſpondeat: *Benedictus Deus in donis ſuis*, ſi nihil fuerit erogatum (quod ad humilitatis, & patientiæ probationem expedit fieri aliquando) reſpondeat nihilominus cum hilaritate: *Deo gratias*; & humi ſedens, quæ miſſa fuerint, comedat more egenorum. Quicumque verò ex diſcumbentibus aliquid pauperi impartiri voluerit, ab eo qui præſidet veniam petat per miniſtrantem, qui ex oblatis, quod ille iniunxerit, hoc ſolùm ferat mendico. Quod ſi pro loci conſuetudine idem ferculum, aut ejuſdem ferculi partem plures obtulerint, Miniſter arbitrio Præſidis, vel unius Religioſi integrum ferculum, vel in unum collectas plurium Fratrum portiunculas, pauperi dedat, nunquam tamen

men diverſi generis fercula unam in lancem promiſcuè congerat, ſed quælibet ſigillatim apponat. Nec erit quandoque incongruum, ut ad peculiarius paupertatis experimentum, alicujus ferculi parva portio panis fruſtulo ſuperpoſita, ſine lance pauperi offeratur; Sed ex culina nihil ei regulariter miniſtretur. Panis verò etſi miniſtrari debeat, non tamen in communi caniſtro. Vinum autem ex communi urceo infundatur ut cęteris de licentia Præſidis. Culter quoque & Cochlear, ſed abſqne mappula pauperi præbeatur: qui refectione accepta, erigetur in Genua, & Præſide ſignum dante, ſurgat humo deoſculata, ac demiſſa voce pronucians, *laudetur Jeſus Chriſtus*, facta etiam profunda inclinatione recedat.

Inſtructio pro recreatione.

1. CUm recreationis tempus ſit quædam Monaſticæ auſteritatis intermiſſio, ita Fratres noſtri ea uti debent, ut Dei præſentiam, timorem, & amorem obli-

Digitized by Google

oblivioni non tradant. Singulari quippè modo Fratrum recreationi, ſicut & cæteris diſciplinæ regularis actibus Deus præeſt;

2. Meminerint cum in recreationis locum conveniunt, longè aliud eſſe recreari, quàm appetitui ſenſuum inſervire: illud enim mos Sanctorum eſt; hoc verò nunquam licet, cum ſit contra virtutis cultum.

3. Qui primum locum tenet, primus loquatur, & alios exhilarare, & ad moderatè loquendum inducere curet.

4. Uno, & præſertim Præſide, loquente, cæteri ſileant, & benevolè audiant, neque loquentem præmaturè interrumpant, vel cum aliis interea verba faciant.

5. Si minus placeat, quod ab aliquo dicitur, neque verbis, neque nutibns id cæteri ſignificent, ſed gratum ſibi accidere demonſtrent.

6. Nihil contentioſè loquantur, ſed ſi quid contra aliorum dicta, vel facta ſentiant, nunquam externè ſignificent, niſi fortè qui præſidet, aliquid impro-

improbare debeat, ne aliis noceat.

7. Nihil ibi proponant, quod Seminarium diſcordiæ ſit; cujuſmodi ſunt omnes ferè doctrinæ quæſtiones, neceſſe quippè eſt ingenia diverſa mutuò diſcrepare, ac proinde aliquod Chatitatis detrimentum pati.

8. Si quis ſententiam ſuam rogetur, quæ aliis qui priùs locuti ſunt contraria ſit, ita eam proferat, ut alios minimè improbet, ſed potiùs ſe cedere paratum oſtendat.

9. Nihil ibi ſæculare Fratres noſtri admittant, quod jactantiam vel aliorum deſpectum redolcat.

10. Verba pungentia, aut abſentium famam quoquo modo lædentia, accuratè vitent, nec de iis, quæ Religioſum animum multum diſtrahant colloquantur.

17. De diverſarum nationum comparatione non agant, & ſuam quiſque nationem aliis minimè præferat, odioſa quippe nationum, & perſonarum comparatio eſt.

12. Ea recreationis monaſticæ propria ſunt, quæ ad ſpiritualem profectum

attinent, vel quæ cum indifferentia ſint, ſine ullius tædio, vel nocumento delectant.

13. Hujuſmodi ſunt ſacræ Scripturæ interpretationes, exempla Sanctorum, hiſtoria, eruditio varia, & alia ſimilia, unde nulla contentio oriri poſſe videatur.

14. Hæc, & alia ejus generis, in recreationis loco ita à Fratribus noſtris proferenda ſunt, ut quamvis doctrina præſtent, non alios docere, ſed oblectare velle videantur.

51. Non eſt præter monaſticam diſciplinam, in eo loco aliquid facetè dicere, ſed qui dicit, affectationē; qui audiunt, riſus diſſolutionem vitent.

26. . In omni recreatione, ſed extraordinaria præſertim, ubi aliquid ſolito amplius permittitur, aſſueſcant Fratres noſtri moderatæ lætitiæ, & qui Sacerdotes non ſunt ſine licentia non loquantur, pręcipuę privatim.

17. Dum genus aliquod honeſti ludi ad animum relevandum, corpuſve exercendum permittitur, ita à Fratribus ſuſcipiatur, ut nullum iracundiæ

vel

Digitized by Google

vel immodeſtiæ motum præſeferant.

18. Singularis quæque familiaritas cavenda eſt; propterea ſtudeant Fratres noſtri recreationis tempore, ſive ſedendum, ſive ambulandum ſit, cum nullo Religioſo ita ſingulariter, & frequenter verſari, ut communis Charitas lædi videatur.

19. Modeſtia in externis actibus ſemper, ſed eo præſertim tempore colenda eſt, quo animus ab orationis ſtudio in recreatione aliquantulum relaxatur, propterea Fratres noſtri nihil indecorum admittant, cujuſmodi eſſet alterius manum attingere, alterum alteri cum ſedet nimis adhærere, ac ejus generis alia, quæ quamvis aliis liceant, à Religioſis uſurpanda non ſunt.

10. Cum Præſes aliquid iniungit, quod ad Fratres exhilarandos conferat, ita ab eo cui iniungitur exerceri debet, ut neque modeſtiæ metam excedat, neque ob pudorem aliquid fingat, ſed ſincerè ſtatim obtemperet.

21. Si aliquando Frater quiſpiam ob paſſionem, ſeu tentationem ullam mole-

Digitized by Google

leſtia gravi vexetur, caveat, ne in recreationis loco vultum mutet, tunc præcipuè cum in recreatione ipſa, vel paulò ante Superior aliqua correptione, ſeu mortificatione illum exercuit.

22. Cum aliquis loqui permittitur, caveat ne ex ruſticitate, ſeu tarditate alios offendat, vel ex verboſitate moleſtet, ſed ſincerè, & modeſtè loquatur.

23. Somni, vel diſtractionis ſigna in recreatione vitanda ſunt, alterum enim pigritiæ, alterum neglectus indicium eſt.

24. Sic in eo loco animus compoſitus eſſe debet, ut quidquid boni dicitur, in Cellam reportet, quod minimè neceſſarium eſt, oblivioni tradat.

25. Denique ut recreatio tota fructuoſior ſit, Fratres noſtri ipſo recreationis tempore, aliquot actus aſpirationum in Deum intercalatos exerceant, oportet quippe ſemper orare, & nunquam deficere.

In-

Digitized by Google

Inſtructio pro ſcribendis Epiſtolis.

1. SEmper Epiſtolis prænotabitur Crux, *Jeſus Maria*, *Pax Chriſti*, ſeù *Pax & gaudium Spiritus ſancti*; ſubſcribetur autem. *Indignus*, vel *humilis ſervus*, & cum ſcribitur ad Superiores, addatur, *& filius. Frater N. Prior*, *Supprior*, *Sacerdos*, *Choriſta*, ſiue *Donatus* reſpectivè, ſi ejus notitiam is ad quem ſcribitur, non habuerit: Si notus fuerit, ſufficit nomen, cognomenque ſubſcribere. Inſcribetur verò forinſecus cum Epiſtola Sacerdoti dirigitur. *Admodum Reverendo Patri obſervandiſſimo N.* cum Superiori etiam officio functo, ſi Præpoſitus fuerit, vel totius Congregationis Vicarius Generalis, addatur *Noſtro*: Quod ex quadam decentia convenit etiam fieri, quando ſcribitur illis, qui fuerunt Definitores Generales, aut Procuratores Generales. At ſi Fratribus dirigatur, inſcribendum erit *Chariſſimo in Chriſto Fratri Noſtro*, nec Urbanæ, aut officioſæ aliæ inſcriptiones ullatenùs inducantur.

2. Scribant omnes in ſemifolio, etiam

Superioribus, & extraneis, paupertati potiſſimùm conſulentes; niſi negotii longitudo, aut externarum perſonarum dignitas, veneratioque ſecus ſuadeat. Ita verò claudantur epiſtolæ, ut characteribus aperiri poſſint illæſis.

3. Nullus è noſtris alteri, etiam Superiori, ſcribat cauſa dumtaxat feſta feliciter apprecandi.

4. Litteræ quoque rumores varios nunciantes, aut Religioſorum paci, atque profectui nocituræ, à nemine conſcribantur; Prælatique exemplum præbeant, nihil ejuſmodi ſuis litteris admiſcentes; & Religioſos qui ſecus fecerint acriter comprimentes.

5. Quoties evenerit, ut extraneorum tùm Sæcularium, tùm Religioſorum in noſtris litteris mentionem aliquam faciamus; omnis cautela circumſpectioque adhibeatur, ne ſi ad manus devenerint alienas, offenſioni aut ſcandalo locus fiat; quod noſtris omnibus impenſiſſimè cordi erit.

6. Subditorum epiſtolæ, pro quibus juxta Conſtitutiones obtinenda licentia

eſt,

eſt, cùm in faſciculo, ſive plico definitorũ Generalium, & Procuratoris Generalis mittuntur, non niſi apertæ mittantur, & ſi quæ fuerint clauſæ, aperire ipſi (ſi velint) poterunt, & quas judicaverint, retinere.

7. Priore abſente; ſed ipſa die reverſuro, Præſes licentiam nulli dedat aperiendi, mittendique litteras, niſi ex neceſſitate, & Priorem inſuper cum redierit, certiorem facere teneatur.

Inſtructio ad Monaſteria, & Eccleſias noſtras ædificandas.

1. QUi fabricis præficiuntur, ſedulò advertant, ne in extruendis Cœnobiis & Eccleſiis noſtris præfixæ in Conſtitutionibus Regulæ, menſuræqua excedantur, ſed navent operam, ut ad unguem delineamentum ſervetur.

2. Efficient autem, ut omnia congruant paupertati quam profitemur, nec in feneſtris, portis, fornicibus labores inutiles, aut nimiùm curioſos admittant; ſed robuſta omnia, nitida, profutura in domos pauperum introducant.

3. In noſtris Eccleſiis conſtruatur lo-

cus Confeſſariorum ſedibus opportunus, adeò patens, ut facilè cerni poſſint ab omnibus pœnitens pariter, & Sacerdos.

4. Interjacentia quoque ſpatia Sacellorum non admittantur, niſi dilucida, & facilè pervia oculis intuentium.

5. Sacræ Euchariſtiæ tabernaculum in maximo altari, vel in minori alio communicandis fidelibus apto ita firmabitur, ut ſurripi poſſe non timeatur.

6. Hæc in aris menſura tenebitur. Ara major longitudine quatuordecim palmos, latitudine quatuor, altitudine quatuor ac dimidium non excedat. Sicubi tamen ob rationabilem cauſam, major ſolito conſtruatur Eccleſia, pro ipſius Eccleſiæ magnitudine augeatur etiam in Altaribus menſuræ proportio.

7. Reliquæ aræ, ſuorum Sacellorum amplitudini, & proportioni reſpondeant.

8. Aræ igitur Sacellorum, exceptis collateralibus, longiores palmis decem, tribus & medio latiores, non extruantur. Intelligimus autem palmum, quo per Conſtitutiones noſtras indumenta metimur.

9. Aræ

9. Aræ ſingulæ, ſupra menſam præter latitudinem ſupradictam, ut minimum unum gradum habebunt, ubi Cruces, & Candelabra collocabuntur; ſed ara major, ut minus duos. Infrà ſimiliter præter ſuppedaneum ligneum, habebit ſaltem ara maxima gradus duos, minores reliquæ ut minùs unum, ubi fieri non incommodè poſſit.

10. Sub Presbyterio, aut Choro extruetur Sepulchrum, ſeù Cœmeterium noſtris Religioſis, & ſacellorum Patronis in unoquoque ſacello ſuum cuique ſepulchrum ædificabitur. Sint etiam in Eccleſiis noſtris aliqua ſepulchra communia pro ſæcularibus, quæ ſint duo, vel tria pro diverſitate perſonarum.

11. Sacrarium ad humiditatem vitandam, ſub pavimento fornicem habeat, vel ſi minùs commodè fieri poſſe videatur, elevetur utcumque pavimentum, aut excludendæ humiditati aliter conſulatur.

12. In Portis Eccleſiæ, ac Sacrarii aliiſque forinſecus extruendis, non tàm curioſitas, quàm firmitas, ſecuritaſque quæratur.

13. Pu-

13. Publici, privatique proſpectus tam platearum, quàm vicinarum ædium, hortorumque adjacentium caveantur, quod ſi vitari perfectè nequeant, ſaltem remedio quo poterit oportuniore provideatur.

Inſtructio pro Seminario miſſionum.

1. AD Seminarium regulariter non mittantur, qui ſpiritum miſſionum non habent.

2. Satagat Prior in exhortationibus, & collationibus obeundis miſſionum ſpiritum, ardoremque cordibus Religioſorum imprimere; efficiatque accuratiſſimè, ut ad extimulandos animos, annuæ litteræ, quæ ex variis miſſionum Provinciis à noſtris Fratribus mitti ſolent, ſignanterque recentium Martyrum acta, in menſa, vel recreatione legantur.

3. Qui ad Seminarium venerint poſt octo dies in Capitulo Conventuali emittant votum eundi ad Miſſiones in hanc formam. *Promicto me ad quemlibet Miſſionem pro converſione Infidelium, ſeù Hæretico-*

Digitized by Google

reticorum iturum, cum obedientia id mihi iniunxerit: Et votum ipſum à voventibus conſcribatur in libro ad hoc deſignato, qui ſervabitur in Archivio Conventus; & in communi renovatione votorum in poſterum idem votum cum aliis renovabunt.

4. Prior ſimiliter, atque Supprior, quos obſervantia regulari, virtutum cultu, zeloque animarum inſignes, maximèque ad id opus decet eſſe propenſos, poterunt idem votum ad alios excitandos emittere: Cæteri verò non Seminariſtæ, ac Fratres Donati, niſi de Superioris expreſſa venia, ejuſmodi votum publicè non emittant.

5. Fratres omnes in Seminario moraturi inſtruantur linguarum peritia, controverſiis, aliiſque id genus, quæ ad hæreticorum, infideliumque refellendos errores, ac confirmandam Catholicam veritatem, moreſque inſuper componendos oportuniora videbuntur.

6. Superior toto nixu contendat Religioſorum commune ſtudium, ſpiritumque in animarum ſalutem dirigere juxtà Con-

Congregationis mentem in Comitiis Generalibus anno 1632. celebratis per hæc verba teſtatam: Hæc demum omnium vox una fuit animarum lucrandarum opus optimè cum inſtituto noſtro congruere, quod licet contemplationi primùm, & principaliter incumbat, non tamen totaliter contemplativæ vitæ ſuos alumnos addicit, ſed etiam ſecundariò actioni, & proximorum ſaluti, tanquam contemplationi minimè repugnans attendere præcipit; die noctuque in Cella Deo vacare jubet, juſtas tamen occaſiones excipit; nullam tamen eſſe juſtiorem occaſionem, quàm eam, quæ de lucrandis animabus ſeſe offert unanimi conſenſu ſemper ſenſerunt omnes; hoc profectò ſtudium initio naſcentis Religionis ſemper viguiſſe compertiſſimum eſt; cujus veritatis, quæ omninm animis jam inſedit, luculentiſſimos teſtes habemus Illuſtriſſimos Martyres, Angelum, Anaſtaſium, Petrum Thomam, ut innumeros alios prætereamus, qui profuſo pro animabus lucrandis proprio ſanguine, veritatem hanc ipſo cruore quem fuderunt veluti ſcriptam, teſtatam-

que

que poſteris reliquerunt. Nec alius fuit Sanctiſſimæ parentis noſtræ Thereſiæ ſcopus, quæ Moniales ipſas eo fine inſtituit, ut pro Prædicatoribus, & iis qui lucrandis animabus inſudant, continuas Deo preces effunderent, homines verò, ut Deo primùm vacantes, mox exemplo, ſtudio, prædicatione, proximos juvarent, qua ſuperſtite, & adhuc in vivis agente, Religioſi noſtri non pauci ad miſſiones pro animabus infidelium lucrandis in terras infidelium miſſi ſunt. Hoc ſpiritu alumnos ſuos Congregatio noſtra ſemper aluit, nam præter quam in morem inductum eſt, ut ſingulis annis bis ſolemni ritu profeſſionem renovantes, unuſquiſque firmum addat propoſitum ad terras infidelium, pro converſione hæreticorum iturum, cum votis ipſius obedientiæ juſſio acceſſerit; In primo Generali Capitulo celebrato Romæ, quod ex primis illis, ac lectiſſimis Congregationis noſtræ Patribus, in quibus exactiſſimæ obſervantiæ rigor, & ardentiſſimus religionis zelus vigebat, congregatum fuit, omnes, etiam ipſe Præpoſitus Generalis, Definitores

Gene-

Generales, & omnes gremiales Capituli propriis officiis renunciantes ſe miſſionibus devoverunt: Hinc Pontifices Summi in ſuis Bullis, ac diplomatibus tale lucrandarum animarum ſtudium approbantes, propria authoritate, proprioque ut ajunt motu, Religioſos noſtros ad remotiora regna, ut Chriſti Salvatoris negotium in lucrandis animabus agerent, non ſemel deſtinaverunt. In hoc tamen convenerunt omnes, ut ſtudium hoc ita à noſtris perficiatur, ut potioris partis noſtri inſtituti memores ſint, & negotia alia quę ad converſionem animarum minimè ſpectant omninò relinquant. Imò optare ſe univerſi Patres apertè ſignificarunt, ut qui ad hujuſmodi miſſiones deputantur, contemplationi maximè addicti eſſent, & ab ipſis eremis, cùm iter arripiunt vela explicarent, ut in terris ad quas pergunt (ſi fieri poteſt) Conventus noſtros fundari curent, in quibus regularis obſervantiæ, & quoad fieri poſſit receſſus curam gerant; & ubi hoc obtineri non poſſit, locum aliquem habeant, ad quem aliquando redeuntes, more oculatorum anima-

animalium quæ vidit Ezechiel, iterùm revertantur in modum fulgurum novo concepto fervore, noviſque virtutum radiis coruſcantium.

7. Mittat quandoque Superior nonnullos è Seminarii miſſionum Alumnis ad Verbum Dei per vicina Oppida prædicandum pauperibus & ejuſmodi pabulo deſtitutis, ac licet eis aliunde victus fortaſſe ſuppetat, ut veteris paupertatis cultores, magis eligant mendicare juxta Conſtitutiones noſtras, 2. par. Cap. 16.

8. Quia verò qui miſſionibus incumbunt, plures ubique occaſiones obvias habent, in quibus niſi veræ virtutes altè in eis radices egerint, proprii caſus, & ruinæ periculum ſubituri facilè videantur; Probet Superior accuratè ſingulorum ſpiritum, & in virtute profectum variis experimentis paupertatis, patientiæ, mortificationis, humilitatis, contemptus, & aliis; ut iis veluti præludiis, præſidiiſque ad majora certamina diſponantur, & liquidò manifeſti fiant, qui tanto operi ſint idonei; de quibus etiam ſuo tempore eos Prælatos certiores faciet, quorum eſt miſ-

ſiones

ſiones decernere, ut cum oportuerit, conſultiùs fiat electio mittendorum.

9. Qui mittendi fuerint, ſe juramento fidelitatis obſtringant, quò ad illa omnia, quæ à Patre noſtro Præpoſito, ac definitorio Generali eis præcipientur. Quod ſolummodo obligabit, cum qui præcipit, expreſsè declaraverit juramentum ligare.

10. Oportunum quoque foret, honeſtæ ſimul, proficuæque recreationis gratia coram quandoque repræſentari tyrannum aliquem fidei Chriſtianæ perſecutorem, dira ſupplicia minitantem, & ex adverſo Martyrem pro fide alacriter depugnantem, ſeque imperterritè cruciatibus exhibentem, ut moris eſt inter nos, ad exacuendum martyrii deſiderium.

11. Demùm enixè miſſionarios omnes hortamur, ut ad memoriam ſæpè revocent vota quæ pro miſſionibus nuncuparunt, eademque opere, & veritate, quantum dabitur æmulentur implere, atque ad hoc omnium divinorum diviniſſimum opus omni virtutum genere promptè ſe inſtruant, & accingant. Id autem ante

voti

voti ejuſmodi nuncupationem ſeriò expendant, attentèque præmeditentur an verè ſe Dei ſpiritu agi ſenſerint? meliùs eſt enim non vovere, quàm vota non reddere; diſplicet quippè Deo infidelis, & ſtulta promiſſio.

Inſtructio pro Religioſis ituris ad Miſſiones.

1. PRidie, vel ipſo ſaltem ſui à Conventu diſceſſus die, in Choro, vel Oratorio coram omnibus, ituri ad miſſiones in Superioris manibus votum ſequens emittant. *Ego F. N. renovo meam profeſſionem, & promitto Obedientiam, Caſtitatem, & Paupertatem Deo, ac Beatiſſ. Virg. Mariæ de Monte Carmelo, & Rev. Adm. P. N. Præpoſito Generali, ſuiſque Succeſſoribus ſecundùm Regulam primitivam dicti Ordinis uſque ad mortem. Inſuper promitto me nunquam directè, vel indirectè per me, vel per alium intra, vel extra Congregationem ullam Prælationem prætenſurum, neque extra Congregationem oblatam acceptaturum, niſi*

G *præ-*

præcepto eius qui mihi præcipere poſſit adſtringar. Inſuper promitto ad quamlibet miſſionem pro converſione Infidelium, ſeù Hæreticorum iturum, cùm obedientia id mihi iniunxerit. Inſuper tacto pectore juro fidelitatem in his, quæ mihi præcipientur à P. N. Præpoſito Generali, ſive à Definitorio Generali, quando ille, qui mihi præcipiet, declaraverit juramentum obligare.

2. Poſtea verò juxtà Sacr. Conc. Trid. emittant profeſſionem Fidei, quę in noſtro manuali habetur.

3. Itinerantes omni ſtudio, induſtriaque ſpiritum foveant, virtuteſque omnes certatim exerceant operi tanto conſentaneas; Quare ſinguli conabuntur quotidie confiteri, & Sacrum facere; Fratres verò Euchariſtiam ſumere; quæ ſi minùs commodè quoquo die fieri poſſint, ſaltem Dominicis, & Feſtis diebus nullo modo prætermittantur. Horis canonicis recitandis opportunè tempus diſtribuant, manè, ac veſperi mentalem orationem, ut conventualiter moris eſt, hora una exerceant, præmiſſa ſemper Antiphona *Veni*

Sancte

Digitized by Google

Sancte Spiritus &c. & ſubiuncta in fine Orationis Antiphona *Sub tuum præſidium* cum Orationibus conſuetis ; Circa meridiem, & prima nocte , per octavam horæ partem examinent conſcientias , dirigantque in primis Orationem ad exercitandum in ſe zelum , virtuteſque ad munus hujuſmodi requiſitas perfectiſſimè conquirendas .

4. Præmittant ſingulis diebus orationi matutinæ Litanias omnium Sanctorum, & Veſpertinæ Litanias Beatiſs. Virginis , ejuſque inſuper inter itinerandum Roſarium recitabunt : Vbi verò appulerint ad hoſpitium (ſi fieri poſſit)Eccleſiam adeant, reliquum temporis gratiarum actioni , aliiſque piis exercitiis deputent ; quandoque invicem conferentes de Terris , Gentibus, & Provinciis quas pertranſeunt , ut horum omnium certiorem notitiam nanciſcantur .

5. A quacumque contentione , non ſecus atque à blaſpemia ſtudiosè abſtineant ; Vbi verò aliquis cœperit in ſua obfirmari ſententia , ſtatim cæteri conticeſcant , & pro illo taciti Deum orent ,

Digitized by Google

ne malo ſpiritu agatur ad pacem, charitatemque turbandam. Nemo aut proferat verba ridicula, aut ludicra conſectetur, vel jnducat impertinentia, quod profectò grave delictum eſſet à Deo ſeveriùs vindicandum.

6. Conſultum erit per modum honeſtæ recreationis aliquid ex novo teſtamento perlegere, nunc Evangelium, nunc verò Acta Apoſtolorum, ſæpiùs D. Pauli Epiſtolas, conferentes invicem cum omni humilitate, quæ lectitaverint, vel audierint, alius ab alio doceri magis, quàm docere, aut videri ſapientior cæteris cupientes ex animo, & commendantes potiùs invicem, quàm irridentes, poteruntque inſuper ſuo quiſque loco interdum agere de ſacris fidei myſteriis, ut aſſueſcant idem pariter, & ſentire, & prædicare, in eum quippe finem, ſimilique modo ab Apoſtolis fidei Symbolum pariter pronunciatum accepimus.

7. Si quis fortaſsè ex Fratribus maximè rudioribus, aut his qui Theologiæ operam non dedere, non adeò ritè, ac rectè aliquid pronunciarit, is leniter inſtruatur

tur

tur ab aliis practica quadam methodo, quid ſcire illum oporteat, aut quemadmodum verbis proferre, & enunciare debeat quæ docebitur, tam verò in prædictis, quàm in audiendis Confeſſionibus, auctorum ſententiis conſectandis, pœnitentiis iniungendis, cæteriſque id generis, unanimiter ſemper, uniformiterque ſe gerant; ne infideles eorum aliquam diverſitatem ſubodorantes, ullam fidei ſuſpicentur incertitudinem, & ſcandalizati irrevocabiliter avertantur. Si quæ verò alicui excidant inconſultè, aut imperitè quidpiam doceatur ab uno, quod alii ſecus docuerint, aut prædicaverint, curent utrumque ità exponere, & coaptare, ut mentibus infidelium diverſitas illa, ſeù contrarietas non appareat. Quamobrem inter noſtros quotidianis, aſſiduiſque collationibus, tum in itinere, tum in ipſis miſſionum domiciliis opus erit, ut idipſum dicant omnes.

8. Omnes viciſſim honore debito ſe præveniant, præſentes æquè, abſenteſque, maximè autem in his quæ dixerint alterutrum; deferentes, & ſi quis dicto erraverit,

verit, errorem cautè, & ſine nota exter-norum ſupprimentes, & emendantes; quemadmodum etiam errata, quæ com-mittuntur in Choro à ſęcularium animad-verſione aptè ſubducimus.

9. Cum in Oppido, vel Civitate ali-qua fuerit immorandum, omittant curio-ſa diſquirere, aut ſuperflua emercari, ut appareant ſemper viri evangelici, pii, ſim-plices, & peregrinantes ab hoc ſæculo; Exemplum bonum præbentes in omnibus, & mente jugiter æſtimantes, quod ait Apoſtolus, *Chriſti bonus odor ſumus in omni loco*. Expeditis itaque debita ſedu-litate, & ſolicitudine ſi quæ ibi tractanda fuerint; quid quid temporis agendis ne-gotiis ſuperfuerit, orationis otio, & pio-rum colloquiorum impertiant.

10. Itinere dietim exacto, locorum nomina, quæ quotidie peragraverint, unius ab alio intervallum, & ſi quid ultra notatu dignum ſibi occurrerit, in libello ſigillatim deſcribent, flumina inſuper quæ tranſmiſerint, & montes quos tranſmea-verint, quove ducant accuratiſſimè deno-tabunt.

11. De-

Digitized by Google

11. Deſtinatis locis appulſi, & in regiones longinquas epiſtolas directuri, earum duplicatum, triplicatumque mittant exemplum, narrationem eorum quæ ſibi acciderint à poſtremo datis Epiſtolis continentia, ne in tanta locorum intercapedine, niſi litteræ duplicentur, ac triplicentur, facilè intercipi, vel interire continent; omnium inſuper litterarum apud ſe retinentes exemplar. Poterunt autem eum fermè notandi modum tenere, ut quotidie ubi ſimul convenerint, quæ digna calamo judicabunt in ſuum quiſque diarium referant, & conſcripta relegant, ubi fortè commodum fuerit, habeantque præter itinerarium Codicem, alterum ad ea ſeorſim notanda, quæ Superiores peculiarius noſſe oportuerit. Hæc igitur & hac fermè ſerie notabuntur, videlicet.

I. Quæ ſit indoles, ingeniumque illorum ad quos divertent?

II. Quæ lingua ſit uſitatior, quæve à pluribus, vel paucioribus pecipiatur?

III. In quanam lingua futurum eſſet

acceptius, utiliuſque Divina Officia celebrare? ut ea traducendi, ac traducta impoſterum celebrandi licentia quæri poſſet.

IV. Quæ ibi ſectæ, ſive Religiones vigeant? qui ritus ſerventur? quo ſint in pretio, & cultu Mahometana, & aliæ?

V. Quæ Catholicorum nationes illuc ſoleant adventare? & ſi quod fortè genus hominum ſingulariùs averſentur? An erga omnes uniformiter afficiantur, cunctoſque admittant ſine diſcrimine?

VI. Quænam ſit cæli ſolique temperies? quæ annona? ſeù quinam cibi, & quæ victus ratio uſurpetur? utrum ibi noſtratia inveniantur, & quæ illa ſint? quæque apud illos in pretio habeantur?

VII. Quæ hominum exercitia illis maximè arriderent, militantiumnè, an in ſerico, ligno, coloribus, aliiſve id generis laborantium?

VIII. Quæ hominum dotes, aut qualitates pro ejus loci miſſionibus aptiores exiſtimentur?

IX. Quæ

Digitized by Google

IX. Quæ illò hinc deferenda, quique libri potiſſimè? demum quæcumque cenſuerint expedire ad regionum earum plenam notitiam comparandam, & miſſionis bonum cumulatiùs promovendum.

12. Priuſquam noſtri quemcumque locorum Principem adeant, ſimul agitent quæ cum unoquoque tractanda fuerint, & ſi vacaverit, quam ad ſingulos habituri ſunt orationem,ſive diſcurſum conſcribant, ſerium, gravem, ſubſtantialem, & nihilominus elegantem, ſuavem, ſimplicem, acceptabilem, quem Præſes memoriæ ſaltem in neceſſariis commendatum, cum in congreſſum venerit, pari induſtria, & lepore nitetur proferre, ne illum Princeps, quod aliis contigit, in aliud tempus differat audiendum. Illud quippe Matth. 10. *Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis*, non omnem ſuſtulit dicendorum præmeditationem, ſed quæ diffidentiam habeat providentiæ, opiſque di-

vinæ,

vinæ, quæque nimia trepidatione, ac ſolicitudine liberam Evangelii prædicationem retardet; juxta ſacros Interpretes; Addente Chryſoſtomo in hanc ſententiam, illud Petri in ſua Canonica: *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem reddere de ea quæ in vobis eſt ſpe*. Præſertim cum apud Matth. loquatur Chriſtus de fidei prompta confeſſione, & propugnatione, nos verò longe alia re, atque propoſito: Scimus autem pleroſque Eccleſiæ ſanctiores Doctores, cum infidelibus congreſſuros, longo ſtudio, & oratione acceſſiſſe paratos.

13. Cum ad eas, ad quas miſſi fuerint regiones pervenerint, quemadmodum & in univerſo itinere, ſilentium, ſecretumque cuſtodiant, ne per ſermonis incuriam deprehenſi facilè impediantur: Quocirca nemini aperiant unde venerint, ſeu quo propoſito, aut quid acturi? præterquam iis, quibus abſcondere omninò non poſſent, recogitantes animo S. P. N. Eliſei luculentum exemplum, & iniunctum diſcipulo ſuo Giezi mandatum, dum eum ad Viduæ filium ſuſcitandum ſuo cum bacu-

baculo delegavit; quod patrare fortè non potuit, quia ſecretum non cuſtodivit, hac enim mente præceptum Giezi Eliſeus impoſuit (ut S. Theodoretus exiſtimat) noverat enim inanem illius gloriam impedimentum fore miraculo.

14. Contendant oppidò ante omnia linguam addiſcere, alioquin locorum Principibus, in rebus fidei graviſſimis animum ſuum per interpretes haud facilè propalaturis. Antequam verò de rebus gravioribus per interpretem agere incipiant, neceſſe cumprimis eſt, ut illius fidelitatem valdè habeant exploratam, atque compertam, ne in proditionem degeneret verborum ſenſibus perperam immutatis; Qua planè in re opus eſt ingenti maturitate, & orationis inſtantia.

15. Cum aliorum Ordinum Religioſis (ubi eos inveniri contigerit) agant inſigni benevolentia, eoſque obſequiis, & omni honoris, ac reverentiæ exhibitione ſibi ſtudeant emereri, illis per omnia deferentes, non tamen ideò inſtituti noſtri Regularis, aut proprii quoque propoſiti rigorem ab initio ſemel aſſumptum

Digitized by Google

ptum relaxantes, neque ullatenus conniventes in iis rebus, quæ Dei gloriam, cultumve minuerent, hoc autem fiat absque ſupercilio Phariſæorum, & Chriſtiana humilitate, atque benignitate condiatur zelus Dei.

16. Sacerdos quilibet ſigillatim certiorem faciat Superiorem propriis litteris, de ſingulorum probanda, vel improbanda ratione vivendi, ſincerè ſingula, candidèque nunciantes, caveantque hujuſmodi litteras ſibi mutuò, aut Superiori etiam loci aperire, qui quæ illi ſcribant in ſuis epiſtolis explorare non debent, ut liberiùs quæ quiſque ſentiat, deferat ad Superiorem.

Inſtructio pro Religioſis ſubditis exiſtentibus in terris Infidelium.

1. EXploratum habeant Fratres noſtri nihil ad proficiendum in omni ſtatu, ſigillatimqve in miſſionibus obeundis, conducibilius fore, quàm obedientiam, & quodcumque ſemper ex obedientia opus capeſſant, ſibi Deum paratiſſimè

tiſſimè adfuturum. Sic fermè Princeps Apoſtolorum poſt vacuum totius noctis laborem, in verbo Domini jactis retibus concluſit piſcium multitudinem copioſam. At ſecus ii, quos Machabæi Rectores populi conſtituerant, cum nutu proprio præſumpſiſſent fortiter facere, omnes fœdiſſimè ſuperati ſunt. Enimverò in his miſſionum ſacris Legationibus, qui pro Deo funguntur homines, res agitur & cauſa Dei, cujus proinde munus eſt ex ſententia cuncta diſponere, ac per Superiores inſtrumenta dirigere. Quocirca timeant Fratres noſtri, ne ſi rem Dei, non Dei ductu, ſed ſuo præſumpſerint moderari, Divino ſuffragio deſtituti, cum nil tale cogitaverint, in laqueos incidant, ac tentationes Diaboli, quibus facilè expediri non valeant. Quanti verò momenti ſit in ipſo quoque regimine animarum, Superioris conſilium conſectari, teſtatur partim experientia; inculcatiſſimè namque Barbari Regi ſuo per omnia obſequuntur, qui ſi viderint viros Evangelicos, hoc eſt ſectatores perfectionis, erga Superiores minus obſequentes,
aut

aut fortè etiam contumaces, gravatè admodum, & cum ſcandalo illos averſabuntur. Id ut evitent, miſſionum noſtrarum alacres ſectatores in illud ſtrenuè incumbant, ut Novitiorum erga eos qui præſunt in ſemetipſis exprimentes imaginem, illorum obedientiam, ſubmiſſionem, reverentiam æmulentur. Cur enim iſta tyrones præſtent exactè adeò, perfectèque, & non magis profeſſi Fratres, ac Sacerdotes, qui perfectionis lege diſtrictiore cenſendi ſunt? nunquam verò, niſi abſurdiſſimè, à Superiore ſubditus expiſcari debet obtemperandi nutum in his, quæ animo præconcepit, & voluit, non enim obedientiæ nomen meretur, quæ proprio prævenitur arbitrio, & inquietudinis patietur aculeum, ſi Superior ex inſperato ſenſerit, juſſeritve contrarium. Arbitretur autem piaculum, ſi concurrente Superioris judicio, non abrenunciet ſuo, nam tametſi nonnunquam Superior minus probabiliter ſenſerit; adiuncta nihilominus probabilitati jubentis authoritas debet omnimodè prævalere.

Inſtru-

Inſtructio pro Conventu Profeſſorum educandorum.

1. PRofeſſi Fratres ab eorum Magiſtro qui eſſe alius poteſt à Supprìore (præterquam in domibus ſtudiorum) & in definitorio Provinciali eligetur, educabuntur in hoc Cœnobio ſeorſim in Dormitorio clauſo, eritque illi liberum ingredi in eorum Cellas, eiſque in Cellam ipſius. At verò ſocium non habebit, cui ulla ſit in Fratres authoritas.

2. Bis in Hebdomada Fratres convocet, ad exhortationem ſcilicet, ſeù culparum correctionem, & ad poſcendam reddendamque rationem præſentiæ Dei, ut moris eſt in Novitiatu, eoſque aut publicè in Oratorio, aut privatim alibi ritè inſtruat, corripiatque.

3. Det operam, ut peculiarem ſibi eligant unaquaque Hebdomada excolendam virtutem, Dei præſentiam ſtudiosè retineant, & à bonis moribus, quos didicerant, non recedant.

4. Præter Confeſſarios juxta Conſtitutio-

tutiones, vel authoritatem habentes, vel à Superiore Cœnobii deſignandos, Profeſſorum Fratrum confeſſiones Magiſter audiat, de internis, externiſque exercitiis rationem exigat, illos denique in Dei timore, amoreque ita contineat, ut à Novitiorum ſpiritu, & fervore non diſcrepent. Quare ad Coronulam Beatiſſimæ Virginis in commune poſt Veſperas, nonamve dicendam, ad Veſperas dulciſſimi nominis Jeſu Sextis feriis recitandas, & ab benedictionem poſt *Sub tuum præſidium* in Oratorio accipiendam convenire omnes præcipiat, benedictionem tamen à Magiſtro non capiant, donec Prior, vel Superior alius ab Oratorio non receſſerit.

5. Poſt Matutinum, hora dimidia Fratres orent, & in fine Litanias Beatiſſimæ Virginis devotè ſubiiciant.

6. Ad Superiorem Cœnobii ſolùm pertinet declarare, quæ ſit juſta cauſa non ſervandi regulare jejunium; & juſta ex cauſa in jejuniis à Conſtitutione præfixis cum aliquo ex Fratribus diſpenſare, inſuper dare veniam ad communes quan-

doque

Digitized by Google

dòque actus non accedendi, nec ſine illius conceſſu Fratres Profeſſi mortificationem extraordinariam exercebunt; Ad alias verò mortificationes, & pœnitentias ſecretas, Magiſtri licentia ſatis erit, niſi Superior expreſsè prohibeat.

7. Anno profeſſionis durante Superior, quòad fieri poteſt, extra Cœnobium profeſſos, maximè iuniores non mittat.

8. Occupentur plerumquè diſciplinæ Monaſticæ exercitiis, & ſine illorum diſpendio Latinæ linguæ, Rethoricæ, aliiſque ſcientiis delibandis; ut Scripturæ ſacræ memoritèr excipiendæ, ſeù piis interdum declamationibus componendis, aliiſvè huiuſmodi pro cuiuſque captu & propenſione, ex Magiſtri nutu, & Superioris aſſenſu.

Inſtructio recenter Profeſſorum

1. PErſuadeant ſibi Profeſsi Fratres, quidquid intra probationis annum præſtitere, pro nihilo ducendum, & à profeſsionis die novam, purioremqee

vitam inchoandam. Profectò Novitiatus ſimile quiddam eſt declamantium exercitio, quod ſeriis, publiciſque orationibus præmitti conſuevit. Præludia ſunt, quæ in anni prioris curſu Fratres exercent, ſtatus verò Profeſſorum, ſerium, graue, grandeque opus eſt. Quo circa enitendum eſt, ut quæ Novitii pręluſerunt, iam Profeſſi perficiant.

2. Fratres igitur profeſſi, quemadmodùm vitam cęperunt ex orationis, & mortificationis ſtudio contexere, ita proſequantur, caveantque, ne quidquam eorum, quæ bono animo, firmoque propoſito exercuere, prætereant: qua in re totius perfectionis Monaſticæ vis conſiſtit; cum perſpectum ſit bona cępta, ſi ad finem vitæ perſeuerent, tenaces obſeruatores ſuos perfectos efficere.

3. Non modò communis, ac regularis vitæ fidiſſimi obſervatores ſint, verùm etiam opera ſupererogationis, quæ ſub Magiſtri diſciplina præſtare aſſueuerunt, conſtantiſſimè exequantur: hoc enim primùm Angelus Sathanæ perſuadet, ut ſupererogare deſiſtant, moxque hoc prælio vi-

victos, ad neceſſariam ſtatus obſeruantiam omittendam impellit.

4. His ergò Diabolicis conatibus ſeſe opponant profeſsi Fratres, & ad nova, & maiora ſemper ſe ipſos excitent, & diſponant. Inter alia verò, iſta quatuor monita tenaciſſimè obſeruent.

5. Ut diebus ſingulis profeſſionem renouent.

6. Ut præſentiæ Dei ſtudioſiſsimi ſint, adhibitis memoriæ remediis.

7. Ut certo, purà ſeptenario numero mortificationum ſe in exiguis ſaltem rebus quotidiè exerceant.

8. Ut ubicumque fuerint, cum ſuperiore tanquàm cum Novitiorum Magiſtro verſentur.

9. Hæc quippè quatuor monita, ea ſunt, quæ animas eorum memores ad Monaſticæ perfectionis culmen facilè perducent.

Inſtructio Profeſſorum, qui è Novitiatu ad alia Cœnobia migrant.

1. QUamdiu recenter Profeſsi inter Novitios promiſcuè verſantur, & eodem prorſus modo ac illi reguntur, timendi cauſa non ſubeſt, feruor quippe ille, & conceptus æmulatione calor profeſſos alit & promouet; at tranſitus ille ad alia Cœnobia, ubi exercitia Novitiorum deſunt, non levis cauſa timoris eſt: Experientia quippe conſtat, nonnullos profeſſos, qui montes aureos polliceri videbantur, loci mutatione animum quoque mutaſſe, atq; à concepto Spiritus Sancti calore deferbuiſſe.

2. Hoc ergò grande malum Profeſsi Fratres præcauere debent, quod pręſtabunt, ſi inſtructionem recenter Profeſſorum, & præſertìm quatuor illa monita, quæ in ipſius calce recenſentur, fideliſsimè obſeruent, præcipuè verò quartum, ſcilicet, ut cum aliorum Cœnobiorum Superioribus eodem prorsùs modo ſe gerant,

rant, ac ſi illi Magiſtri, ipſique perenniter Novitii forent. Quod ſanè monitum totius Monaſticæ diſciplinæ complexio eſt, ſive de paſsionibus ſubiugandis, ſive de parandis virtutibus, ſive de tentationibus propulſandis, ſive denique de rerum Divinarum ſtudio tuendo ſermo fiat.

3. Etſi verò quatuor illa monita ad perfectionem parandã opportuna, ſimulque ad fidam, diuturnamque obſervantiam prudenti mediocritate temperata videantur, opus tamen habent novi Profeſſi peculiaribus inſuper adiuvari conſiliis, quæ ipſi fortaſſe ex illis velut fontibus deriuare neſcirent.

4. Coerceant effrenem quendam affectum aliò migrandi, qui recenter Profeſſos infeſtare ſolet, nec de propria commoditate ſolliciti ſint, ſed eo prorsus modo, ac tempore, quo abire iubentur, accepto Breviario Apoſtolico modo deſcendant, niſi aliter Superior decernat, Viaticum non quærant, ſed ſpem totam in Divina bonitate collocantes, eleemoſynas mendicare conſtituant.

5. Per viam alacritèr, ac modeſtè ſine vlla contentione procedant, inſtructionemque iter agentium ad unguem obſervent; & ſtatìm ac pervenerint eò, quò migrant, Superiori ſuo ita ſe totos humillimè tradant, ac ſi eo die è ſæculo in Clauſtrum ſe abderent; & inter Novitios recenſeri inciperent.

6. Caveant, ne aliquid novi nuntient ex iis, quæ alibi aguntur, niſi à Superiore interrogentur; neque ſcioli ſint, ea quæ in Cœnobio fiunt, comparatione eorum quæ didicere, repræhendentes; ſed omnia ſimplicisſimè accipiant, ſuique curam gerant.

7. Confeſtim aperiant Superiori omnia ſua, vel obligationis, vel ſupererogationis exercitia; ſive ad Orationis, ſive ad mortificationis ſtudium ſpectent; & ejus ſententiæ per omnia obtemperent; legum denique cuſtodiæ deditisſimi ſint; & ad veram ſanctitatem iugi Dei præſentia, obedientiæ cultu; & ſui abnegatione feſtinent.

In-

Digitized by Google

Inſtructio Fratrum Profeſſorum, qui ad officia deſignantur.

1. DIfficile eſt inter occaſiones multiplices, virtutis modum mediumque tenere, ſic enim qui diu ſanctè vixerunt, ſibi ab occaſione timent. Quis uon planè fateatur, rem ſanè miram eſſe inter occaſiones inculpatè verſari? Res certè perſpicua eſt, quapropter novos Profeſſos præmuniri oportet ad officia ſanctè gerenda.

2. Inſtructiones officiorum exactè obſeruent, & ſi quid ibi non decretum occurrat, ad Superiorem perferant, ut modos perfectè agendi præſcribat.

3. Perfectiſsimum modeſtiæ, & ſilentii cultum obſeruent, nec exiſtiment, quia ad officia præſtanda, & loqui, & intueri neceſſe ſit, omnem idcircò oculorum, & linguæ licentiam ſibi permitti: peſsimè quippè agent, ſi abſque Dei timore officiis ad eam laxitatem abutantur. Regula ſit eos miniſtros ſine peculiari Superioris venia, cum nemine loqui

poſſe, iis verbis exceptis, quæ ad expedienda negotia neceſſaria ſunt.

4. Nullum familiaritatis genus cum externis contrahant, ſed ſeſe totos Deo, & Superioribus ſeruent; quod certè obtinebunt, ſi Dei præſentiæ immemores non ſint, & in officiis Dei cauſam ſe agere perpendant.

5. Comiter, & ſuaviter cum externis agant, omniaque illa ſollicitè vitent, quibus animos exaſperare poſſint; quod ſanè præſtabunt, ſi omnia tempeſtivè expedire, & perſonarum diſcrimen obſervare nitantur, quemadmodùm Fratres noſtri Dei gratia conſueverunt.

Inſtructio eorum, qui Socii foras mittuntur.

1. Modeſtiæ curam exactiſſimam habebunt, propter ingruentes occaſiones diſtractionum, & propter bonum nomen Congregationis.

2. Silentium ità colent, ut cum Patre, quem comitantur, niſi interrogati verba non faciant, & tunc valdè ſubmiſſa voce,

Digitized by Google

ce,& breviter; Cum externis verò, nihil prorsùs loquantur ſine Patris illius expreſſa venia, quæ ad neceſſaria dumtaxat verba, non ad linguam relaxandam, concedenda eſt.

3. Dei præſentiam vigilantiùs, quàm domi mente pertractent, neque novarum rerum curioſitate ſe allici ſinant: experimento enim quotidiano patet, animam rerum ſæcularium curioſitate diſſipatam, difficulter admodùm ſeſe colligere, & ad rerum cæleſtium meditationem reuerti.

4. Cum Pater ingreditur cum aliquo Prælato, aut Viro illuſtri in Cubiculum, Socius (niſi vocatus) remaneat extra fores cubiculi, quod ſi Præſidens ingredi iubeat, non ita propè accedat, ut videatur velle audire, quæ dicuntur; quod etiam intelligendum eſt, quando Præſidens alloquitur Viros graves; cum verò mulieres foras alloquitur, vel earum confeſſiones audit, oſtium loci pateat, ut Socius alter ſi velit, alterum facilè videre poſſit, quod ſi aliquid admonitione dignum invenerit, ſervet quod Conſtitutio Cap. 2. Primæ partis, num. 6. & ſequentibus præcipit.

5. No-

Digitized by Google

5. Noverint qui foras mittuntur, ſi redeuntes à Superiore interrogentur, quò ierint, quiduè egerint: ſeù quid aliud ejus generis, teneri eos juxtà Charitatis legem ſincerè omnia aperire: At Socium ejus, qui juxtà noſtrum ordinarium appellatur Prælatus, nec Superior poteſt interrogare, nec Socius reſpondere tenetur. Præpoſitus autem Generalis de quocumque Religioſo, & Provincialis de Priore poteſt à ſubditis percontari.

Inſtructio pro Archivio Congregationis.

1. ERit juxtà Conſtitutiones duplex Congregationis Archivum, alterum Genuæ, Romæ alterum; in utroq; autem ſervabuntur Brevia Apoſtolica, Bullæ, Privilegia ad totam Congregationem ſpectantia, vel authenticum eorum tranſumptum; quod Procurator Generalis, ubi quidpiam prædictorum fuerit expeditum, ſtatim fieri accurabit, ad alterum ex Archivis mittendum.

2. Sit inſuper in utroque liber, in quo exactiſsimè deſcribantur Acta Capi-

tuli

tuli Generalis ; & novę Conſtitutiones , ſi que denuò ſanciantur ; cum ſubſcriptione Præpoſiti ; Definitorum Generalium ; & aliorum ut moris eſt :

3. Erit prætereà Codex alius declarationum ; aliuſque ordinationum ; cum Præpoſiti,ac definitorum ſubſcriptione .

4. Ex Archivis nihil omninò extrahetur ; niſi de conſenſu duorum habentium claves ; exemplaria quidem Bullarum ; aut Brevium ſi deſcribi oportuerit ; originalia verò ipſa in caſu tantùm valdè gravi ; & inevitabili ; ac de conſenſu triumClaves habentium expromantur;quidquid autem extrahi neceſſarium fuerit ; quàm ociſsimè reponatur :

5. In Archivio Romanò aſſerventur Originalia Ordinarii ; Manualis ; Inſtructionum ; Formularii ; & ſi quæ alia Definitorium Generale ; aut Præpoſitus aſſervari cenſuerint :

6. Serventur in eodem Archivò Proceſſus omnes,in quibus à Definitorio Generali fuerit pronunciatum, decreta quoque, ac ſententiæ ab eodem prolatæ, ejuſdemque Definitorii liber criminalis. Cuſto-

ſtodiantur autem hæc omnia diſcretis quæque receptaculis, inſcriptoque Provinciæ nomine, nec niſi poſt obitum eorum contra quos agitur, Definitorii Generalis arbitrio comburantur.

7. Reliqui verò Codices Definitorii Generalis, aut Scripturæ aliæ ad illud ſpectantes, in alio ſeorsim Archivo reſervabuntur.

8. Claves Archivi Romani habebunt R.P.N. Præpoſitus, primus Definitor, & Procurator Generales, illis abſentibus reliqui ſucceſsivè Definitores Generales, & Prior Cœnobii S.Mariæ de Scala. Archivi verò Genuenſis R.P.N. Præpoſitus, P.Provincialis Genuæ, & Prior S.Annæ, nec aperiantur Archiva, niſi aliquo Definitore Generali præſente.

9. Sit quoque Index omnium Scripturarum, quæ in Archivis reconduntur, ut ſi quid conſuli oportuerit, inveniri facilè queat.

In-

Digitized by Google

Inſtructio pro Archivis Provinciæ.

1\. IN Conventu à Conſtitutionibus deſignato, erit Archivum Provinciæ, in quo Capituli, ac Definitorii Generalis decreta à Rev. Adm. P.N. Præpoſito, Secretarioque ſubſcripta, diſtinctiſque libris compacta cuſtodiantur.

2\. Serventur etiam in eodem Archivo, Proceſſus omnes Definitorii Generalis authoritate facti, quorumvè ad ipſum deciſio pertinet; quicumque verò ad authoritatem Definitorii Provincialis pertinuerint, ejuſdem arbitrio inibi ſervabuntur.

3\. Relationes quoque Fundationum, Annales Provinciæ, ac eorum qui in ea inſigni ſanctimonia, pietate, prudentia, doctrinavè floruerint conſcriptæ vitæ, aut ſi quæ prætereà ſervatu digna Definitorium Provinciale arbitrabitur.

4\. Item authentica Inſtrumenta Cœnobiorũ Provinciæ, quæ haberi potuerint, aut eorum tranſumpta, & notæ contractuum, qui ſucceſſu temporis fient, anno,

die

die , & Notarii nomine ſubnotatis.

5. Index quoque bonorum ſtabilium Cœnobiorum cujuſque Prouinciæ , & ad eandem Provinciam quomodolibet pertinentes Pontificiæ Bullæ , ac Privilegia tàm Summorum Pontificum , quàm etiam quorumcumquæ Principum , ſeù Magiſtratvũ , ut inde in poſterùm deſcribi poſſint,cum opus fuerit , & Conventus aliquis indiguerit, authentica quæcumque tranſumpta ; originalia tamen (ſeclusa graui , & inevitabili neceſsitate) non extrahantur ; tunc autem accedente conſenſu duorum claves habentium depromantur, quamprimùm inibi reponenda .

6. Singulorum ſcripturæ Conobiorũ ſuis quæquæ alveis recondantur,inſcripto deſuper nomine cuiuſque Cęnobii majoribus caracteribus , ut promptè diſpiciantur .

7. Duabus clavibus obſeretur Archivum,quarum altera ſemper erit penes Provincialem, altera penès Priorem ejus Cęnobii,ubi erit Archivum,nec reſeretur,niſi utroque interveniente , vel aliis ab utroque ſuffectis . Provincialis tamen aliò mi-

migraturus, poterit clavem delegare alicui ex Definitoribus Provincialibus, vel iis abſentibus, alteri ex Patribus gravioribus illius Cœnobii, ſed ita quidem, ut ambæ claves nunquàm ſint penès unum. Prior autem ſi abeſſe debuerit, clavim relinquat Præſidenti.

8. Denique ſit in Archivo accuratus Index omnium Scripturarum, quæ ibi aſſervantur, ut facilè ſit invenire quæcumque pro tempore opus erunt.

Inſtructio pro Archivo Conventuali, ſivè Arca trium Clavium.

1. IN hoc Archivo, ſeù Arca trium Clavium condatur liber Fundationum, in quo etiam conſcribantur quęcumque in dies notatu digniora contigerint, Priores canonicè electi, Supprioreſque Cœnobii ſucceſſivè.

2. Alter quoque liber, in quo ſcribantur Viſitatorum Generalium nomina, & Viſitationum acta; & tertius, in quo recenſeantur Viſitatores Provinciales, & acta Viſitationis eorum.

3. Quar-

3. Quartus, in quo defunctorum Fratrum per aliquem, cui Prior iniunxerit, nomina, ætates, nationes, virtutes, inſignis pietas, aut prudentia, vel doctrina, ſanctimonia, pęnitentia, regularis obſervantiæ rigor, & quæ id generis notabiliora cognoverit, ad relinquendum poſteris æmulationis calcar, diligentiſſimè prænotentur.

4. Quintus continens Profeſſorum Patrias, ætates, nomina, tàm quibus in ſæculo appellabantur, quàm quæ fuerint in Congregatione ſortiti, cum propriorum parentum nominibus, horam inſuper, & verba ipſa emiſſa ab iis profeſſionis, Prioris, Magiſtri Novitiorum, & cujuſcumque Profeſſi nomine ſigillatìm ſubſcripta.

5. Informationes verò ab omnibus noſtrum habitum ſuſcepturis neceſsariò faciendæ pariter conſerventur etiam poſt emiſſam abillis Profeſſionem in Conventu ubi profeſſi fuerint, cum ſupradictis Codicibus aſſervandæ; Sed nomina admiſſorum ad habitum, cum die, hora, & anno, quibus admiſſi fuerint, adnotentur in

Co-

Digitized by Google

Codice, qui penès Magiſtrum Novitiorum ſervari ſolet.

6. Sextus etiam liber, in quo deſcribantur bona Cœnobii. Septimus, exactiſſimam ſummam continens accepti, expenſique ſingulis menſibus. Demum octavus, ubi credita, debita, onera Miſſarum perpetua, & pro iis redditus attributi, ac ſi qui alii exigendi fuerint ſuis quæque locis notentur.

7. In eadem Arca, ſive Archivo Conventuali, ſervetur exemplar Conſtitutionum, Ordinarii, Manualis, Inſtructionum, Kalendarii, Formularii, & Compendii Privilegiorum Ordinis.

8. Inſuper copiæ quorumcumque actuum tàm Capituli, ac Definitorii Generalis in uno Volumine, quàm Capituli, ac Definitorii Provincialis, à Patre Provinciali, ſecretarioque ſubſcriptæ.

9. Quæcumque item ſcripturæ publicæ, ut Brevia Apoſtolica in favorem Cœnobii quovis tempore indulta, teſtamenta, inſtrumenta, præſertim emptionum, & venditionum rerum ſtabilium; nec non emendi, vendendi, aliæque id

I genus

Digitized by Google

genus licentiæ à Definitorio Generàli, vel Provinciali, ſive ab ipſo Præpoſito Generali, vel à Provinciali reſpectivè conceſſæ.

10. Index ejuſmodi ſcripturarum, quæ ut faciliùs requirentibus præſtò ſint, diſtinctis faſciculis aſſerventur, Brevia Pontificia ſimul, noſtrorum Prælatorum litteræ, ac patentes ad Cœnobii bonum ſpectantes, pariter teſtamenta in unum, contractus etiam ſimul, ſuis quæquæ inſcriptionibus denotatæ.

11. Nemo, etſi Superior quidpiam prædictorum capiat, niſi ex tribus clavim habentibus duo interfuerint, vel iis deficientibus, coram Superiore Cœnobii, & aliquo ex antiquioribus, relicta eorum quæ accipiuntur, & accipientium nota; quamprimùm verò, quidquid erit exprommptum in locum priſtinum referatur.

12. Pecuniæ quoque ipſius Cœnobii, & pecuniarum, ſeù cujuſcumque rei depoſita (ut Conſtitutiones jubent) inibi cuſtodiantur, cum inſcriptione, ac nota qualitatis cujuſque depoſiti,

ti, à quo commendatum, & cui reddendum.

13. Quibus claves commiſſæ ſunt, ſic habeant apud ſe, ut neque illas apparere permittant, neque in Cella, locovè alio derelinquant; & quoties Arcam aperiri neceſſe fuerit, unus ut minimum prædictorum interſit, præterquam iis caſibus, quibus aliud Conſtitutiones, vel Inſtructiones præcipiunt.

14. In unoquoque Cœnobio, ſit locus aliquis parietibus undequaque tectus, ac tutus, & ſi commodè fieri poteſt ſit Cellæ Procuratoris contiguus, & ad quem per eandem Cellam ſit aditus, ubi collocetur Archivum Conventuale, ſeù Arca trium Clavium ſuis diſtincta receptaculis, magnitudinis verò tantæ, ut commodè ſupradicta contineat. Res autem inutiles, aut levis momenti in ea nullatenus recondantur.

Inſtructio ad librum Actorum Cœnobii.

1. ADerit liber in unoquoque Cœnobio, quemadmodum Conſti-

tutiones præſcribunt 3. Par. Capit. 5. num. 15. in quo Conventualis Capiruli acta omnia conſcribantur.

2. Si quid Capitulo proponendum erit ex his, quæ in dicto libro notari debent, antequam ferantur ſuffragia, in aliquo folio, aut ſchedula ſeparata ſcribatur ad verbum propoſitio ab illo, ad quem ex Conſtitutionibus pertinebit, ſcilicet ab illo, qui ſecundus poſt Priorem ſedet, ut ſi adſit unus Definitor, Supprior erit Secretarius, & poſt explorata ſuffragia, propoſitioni ſubiicietur, affirmativè, ſeù negativè, cum tot ex tot; peractoque Capitulo, qui Secretarii munus geſſit, eandem propoſitionem in ſupradicto Codice, abſque ulla omninò mutatione tranſcribet, quemadmodum & electiones, & quæcumque alia in eo fuerint conſcribenda. Subſcribentque Prior, & primus diſcretus; at liber in Prioris Cella ſervabitur, ne per manus Religioſorum circumferatur.

3. Propoſitiones Novitiorum ab eodem Secretario, in alio Codice penès Magiſtrum Novitiorum ſervando ſcribendæ

bendæ ſunt, atque à Priore, & Magiſtro pariter ſubſcribentur.

4. At propoſitiones Profeſſorum quò ad mores, pro ſacris Ordinibus, Concionibus, aut Confeſſionibus in eo Codice non ſcribantur, ſed ſolæ approbationes, ne quando appareat cum eorum dedecore, hos vel illos Religioſos circa mores fuiſſe propoſitos, & non approbatos; nunquam verò exprimatur, quot ſuffragiorum numero quiſquam fuerit approbatus.

Inſtructio iter agentium.

1. SEù pedeſtres, ſeù neceſſitate cogente humiliter vecti, qui è noſtris iter agunt, paupertatem Chriſti æmulentur; compoſitis tamen veſtibus ſemper euntes, & eleemoſynas mendicare pro ſummo ducant honore.

2. Non ſolùm inter ſe, verùm etiam cum aliis, quos obvios, vel itineris comites habuerint, comiter, ac hilariter, licet cum externis parciùs, agant.

3. De rebus divinis frequenter ver-

ba faciant, & externos quoſque piis ſermonibus ad pietatem ſuaviter alliciant.

4. Qui præeſt in itinere, lenem ſe cæteris exhibeat, & laborem quò ad poſſit ſua ſedulitate ſublevet.

5. Qui ſubſunt, Præſidi quaſi Chriſto deferant, nec illius iniuſſu aliquò divertant, vel quidquam attentent.

6. Non ſuum quiſque commodum, ſed aliorum exquiret; ſeù cubandum, ſeù quidquam aliud agendum ſit.

7. Cum in Clauſtri quiete ſalus noſtra reſideat, omni mora procul acta, Fratres noſtri ad Clauſtra feſtinent, & ſtatim ac pervenerint ad Conventum, litteras patentes itinerarias, etiam non rogati, Priori oſtendant.

Inſtructio pro officio Humilitatis.

1. CUi hoc officium obtigerit, valde magni ducat occaſionem tantæ virtutis exercendæ.

2. Ad ipſum attinet, loca humilia, & præſertim eorum ſedilia mundare; aquam etiam

Digitized by Google

etiam jugiter ſubminiſtrare ad vaſa mundanda.

3. Curet, ut ibi ſint inſtrumenta apta ad vaſa prædicta tergenda, & illa cum trita fuerint renovare.

4. Panniculos etiam mundos, seù chartam, papyrumve habeat in ſportula oportunè repoſita, & eos mundare curet, quando opus fuerit.

5. Si quando pro temporis oportunitate haberi poterunt flores, & herbæ odoriferæ, illis pavimentum loci humilis ſternat, ut munditia in ipſis exactè redoleat.

6. Cum dies fuerit, in qua ſit verrenda domus, ad ipſum attinet aquam deferre per Dormitoria, Chorum, Capitulum, & alia loca publica; quod ſi occupatus fuerit, vel auxilio indigeat, admoneat tempeſtivè Superiorem; non irrigabit multò ante, vel ita tardè, ut jam ſiccum, vel nimis humidum ſit pavimentum, cum verrendum eſt.

7. Ejuſdem erit colligere immunditias poſt verritionem, & habere conſueta inſtrumenta parata, & omnia reponere in loco deſignato.

8. Cum irrigat domum, modeſtè id faciat cum compoſitione religioſa, ſcapulari elevato ad cingulum, ne defluat.

Inſtructio tergendi Scutellas.

1. QUibus hoc officium erit impoſitum, manè hora competenti (ubi opus fuerit) ac tempore recreationis meridianæ ſcutellas, lances, & vaſa ejuſmodi, præter lebetes (quæ à Culinæ Miniſtro abſtergi ſolent) tacitè, aut pſalmos invicē recitantes abſtergent.

2. Accedentibus ad lavandum, præſtò ſit aqua tàm calens, quàm frigida, diſtinctis alveis præparata ab ipſis, vel ab aliquo per Superiorem ad hoc deſtinato, & juxta eā lances, qui fuerint extergendi.

3. Quæcumque abſterſerint, laverintque, ſubinde ſuis locis reponent.

4. Erunt lintea è propinquo muro pendentia, & pauci furfures, ſive quid aliud abſterſivum paupertati congruum, ut manus poſtmodum lavent, extergantque, nè oleant. Purgatis ergo lancibus, manibuſque lotis, terſiſque, in locum recreationis concedant.

5. Si

5. Si quis quid fregerit, poſt cœnam, ſeù collationem, dum culpæ corripiuntur, dempto Capucio, cordaque ad collum ſuſpenſum deferat in Refectorium, ac ſe proſternens culpam confiteatur, iniunctamque à Superiore pœnitentiam impleat. Si plures lances perfregerit, ſeu vas quodlibet ex majoribus; lances paucos, aut partem vaſis, quo ſupra modo deferre ſufficiat; idemque obſervetur in omnibus quæcumque illa ſint, quæ franguntur, modò vaſa non fuerint indecora, & loci honeſtatem refugientia. Dato autem ſurgendi ſigno, ad ſcapulare Præſidis oſculandum procedat. Si autem fregerit coram communitate in ipſo refectorio, ſtatim deferat.

6, Affigatur inſtructio eodem terſionis loco, ut prælegatur, ſerveturque ab omnibus accuratiùs.

Inſtructio Miniſtri Raſuræ.

1. HAbeat apud veſtium promptuarium arculam, in qua ſint lintea, pectines, novaculæ, forfices & ſcopulæ,

pulæ, & alia ad miniſterium hoc neceſſaria.

2. Singulis viginti circiter diebus tempore aſſignando à Superiore in eodem loco omnes radantur, & tondantur, & ab ipſo ſciat, quinam Religioſi (ſi tamen ad hoc fuerint apti) vocandi ſint ad tonſoris munus præſtandum, vocabitque ſingulos, quibus tonſura facienda erit, prout occupationes quorumlibet permiſerint, niſi cum aliquo ſecus à Superiore diſpoſitum fuerit, & tunc ſilentium ſtrictiſſimum ſervetur.

3. Pannos mundos petat, curamque habeat de inſtrumentis benè acuendis, ſeù renovandis, cum opus fuerit, admonito Superiore; nunquam tamen adhibeantur ſpecula. Servetur autem in omnibus Provinciis uniformitas in radendo, niſi aliter pro aliquibus Provinciis ex diſpenſatione Definitorii Generalis indultum fuerit.

4. Peracta tonſura, mundet Cubiculum, & omia reponat ſuo loco.

In-

Digitized by Google

Inſtructio Officialium in genere.

1. SAcras aliquot Imagines intra officinam oportunè diſponant, excitandæ cauſa devotionis, cordiſque in Deum identidem erigendi.

2. Claves officinæ ſecum deferant, ſed latenter; expletoque in dies officio, fores cautè obſerabunt; ipſi verò nunquam clavi intus claudantur.

3. Ituri extra Cœnobium, Superiori, donec redierint, claves relinquant, ut ſi neceſſitas poſtulaverit, præſtò ſint.

4. Nihil quod ad ſuam officinam non ſpectet, reſervent in ea, ſine ſcitu & venia Superioris.

5. Habeant proprias Inſtructiones, quas legant, vel ſibi ab alio legi curent ſemel in menſe.

6. In ſua ſinguli officina munditiem, nitoremque affectent, ac ſuis quæquæ locis eleganter diſponant.

7. Rerum ad ſuam officinam attinentium abſolutiſſimum habeant Inventarium,

Digitized by Google

rium, quod aliquando legant, ut noverint ſi quæ deſint, at ſi quæ nuper adiecta ſint officinæ, adiiciant pariter Inventario, & quæ perierint, Superiori ſuadeant reparanda, vel ab Inventario diſpungant; quod functi officio ſucceſſoribus tradant, & ut rationem exactiùs reddant, nullus quidquam, niſi conſultis Officialibus, extra officinas exportet.

8. Cuſtodiant in officina ſilentium, nec prorumpant in cantilenas, quæ extra officinam audiri poſſint; neceſſaria verò ſubmiſſa tantùm voce loquantur.

9. Benignè admodum, urbanèque ad invicem agant, nec aliorum alii miſceantur officiis, ut jurgia & contentiones avertant.

10. Si officia viciſſim dependeant, à Superiore diſcant, ut ſe gerat alter ad alterum.

11. Meminerint omnes, religioſos Dei ſervos eſſe, ac Deo ſe ſuis in famulis deſervire, ideòque miris charitatis indiciis, quæ ſui muneris eſſe intelligent, impendant omnibus diligenter, exceptiſque benignè ſingulis, opportuna provi-

deant,

Digitized by Google

deant, quibus autem obedientia refragante, morem gerere non licebit, eos leniter, amantèrque dimittant.

12. Inter laborandum cor ſæpiſſimè intendant in Deum.

13. Rerum ſibi commiſſarum noverint ſe adminiſtratores eſſe; non dominos, & ut veri paupertatis cultores, nihil aut in alienum uſum diſtribuant, aut in ſuum aſſumant, niſi Superioris accepta licentia.

Inſtructio Bibliothecarii.

1. LIbros præſertim ſacros, tanquam cæleſtia dona, quibus ad ſapientiam promovemur, plurimi faciat.

2. Codicem habeat, in quo omnes libri, tàm præſentes, quàm futuri per claſſes diſtinctè notentur.

3. Libros cujuſcumque ſcientiæ, diſtinctis receptaculis ita diſponat, ut facilè inveniri poſſint. Capiti cujuſcumque claſſis, grandioribus characteribus ſcientiæ illius, puta Theologiæ, Juris Canonici, Philoſophiæ nomen ſcribat.

4. In-

4. Indicem librorum prohibitorum perſpectum habeat, nè quis liber prohibitus per incogitantiam admittatur; quod ſi aliquem deprehendat, ſtatim admoneat Superiorem, ac depellatur de communi Bibliotheca; quos verò ex prohibitis retinendi erit licentia, ſeorſim clavi adhibita, pluteis deſignatis includat.

5. Si qui libri interierint, vel juſta de cauſa donati fuerint, alios eorundem auctorum ſuſſici curet, vel de Codice deleat.

6. Libros, qui de licentia Superioris, aſſenſuque primi diſcreti commodabuntur extraneis (abſque his enim è Cœnobio non commodabuntur) in alio Codice denotabit, quæſita ſigillatim (ſi citra inurbanitatem liceat) ſubſcriptione aliqua ab eo, cui commodantur, eritque ſolers, ut quamprimùm recipiantur, & receptis notam obliteret; quod ut exactiùs præſtet, libros extraneis commodandos, è Bibliotheca per alios extrahi, reponique receptos, quàm per ipſum Bibliothecarium, Superior nullo modo permittat.

7. Si

7. Si cui noſtrorum Conventuum, libros, maximè gravioris momenti, commodari expedierit, curet, ut ritè deſcripti ab ejuſdem Cœnobii Superiore, aliove ſaltem ipſius nomine ſubſcribantur, nè obrepente oblivione, Conventui qui commodavit intereant.

8. Qui libros de Superioris conceſſu accipient, ſine ſcitu Miniſtri Bibliothecæ non extrahant, aut jam extractis illum admoneant; ne ſi oportuerit inveniri eos, irrito labore perquirat.

9. Ne quidem ipſe Bibliothecarius, abſque Superioris venia, è Bibliotheca libros exportet, nec in Bibliotheca legat, quos alias non eſſet lecturus, ne ſupervacaneè tempus tranſigat.

10. Seorſim manuſcripta quælibet recondantur, quæ ſi fuerint Viri alicujus gravioris, aut virtute præſtantis, vel antiquitatem redoleant, includantur, clavi repoſita in Archivo Conventuali, nec reſerari, aut extrahi, etiam à Superiore poſſint, niſi duo ex Claves habentibus intervenerint, vel iis abſentibus, Prior Cœnobii, & Sacerdos

aliquis

aliquis ex antiquioribus, relictaque extrahentium nota: Extracta verò, magna fide, & ſedulitate referantur.

11. Munditiam curet; pulverem, aranearumque telas, & quaſvis alias ſordes, ſemel ſaltem in hebdomada abſtergat; ſed tinearum, & murium remedia provideat.

12. Moveat aliquando libros, qui raró ſolent aperiri.

13. Cum in Bibliotheca ſoleat eſſe menſa commodiori in loco, ibique parari atramentum, charta, & alia ad ſcribendum neceſſaria, necnon aliqua ſedilia, ſeù ſcabella, curet, ut omnia ſint apta, munda, & benè compoſita.

14. Curent omnes, qui ibi ſtudent, libros in eo loco reponere, unde acceperunt; ipſe verò aliquando perluſtret, & ſi caſu aliquis liber ſit etra ſuam ſeriem, illum reducat.

15. Libros, ex quibus non habentur plura exemplaria (maximè ſi ſint novi) ordinariò non permittat Superior extrahi ex Bibliotheca, & ſi aliquando extrahantur, curet, ut quantociùs reducan-

Digitized by Google

cantur. Religioſi autem, ſimul ac librorum uſu non eguerint, eos in Bibliotheca reponant.

16. Prætextu hujus officii, non ſit extra Cellam pluſquàm neceſſitas ipſa præcisè poſtulat, & tàm ipſe, quàm alii religioſi occaſionem ibi loquendi evitent.

17. Priorem hortetur, ut Sanctorum cum primis Patrum Voluminibus, in dies Bibliothecam exaugeat, ac de libris recenter editis eum ſubinde commonefaciat; receſſus tamen, modeſtiæque, & obedientiæ ratione ſervata.

Inſtructio Miniſtri Hoſpitum.

1. HOſpitalitatis virtutem, utpotè charitatis partum, magni faciat.

2. Statim ac Fratres noſtros, aliunde veniſſe reſcierit, eos inſigni amoris ſignificatione conveniat, & ſi opus fuerit, lintea ad ſudorem detergendum, & ad frigus pellendum ignem pro temporum diverſitate paret, interimque dum cætera diſponuntur, Cellam mundet, & lectos

commodos ſternat; tucinas etiam, ut mutentur, & lodices mundas, ut à laſſitudine recreentur.

3. Pedes lavet more Chriſti, qui pedes hoſpitibus ſuis lavare conſuevit, & à labore recreatos in Refectorium deducat, & pro neceſſitatis, & charitatis modo, eis victum juxta Superioris præſcriptum miniſtrari curet, in Cellaſque reducat, ubi quæ opus ſunt, utpote libros, vaſa, vel alia, quibus indigere proſpexerit, provideat.

4. Hæc ipſa, erga Religioſos alios apud nos diverſantes præſtabit.

5. Diſcet ab hoſpitibus, qua hora ſurgere velint, ut eos excitet.

6. Poſtero die, dato ſilentii ſolvendi ſigno, niſi neceſſitas aliud expoſcat, illos viſitet, & quomodo ſe habuerint, & an aliquid eis ſit neceſſarium? ſciſcitetur, ac Superiori referat, ut provideat.

7. Si Hoſpites ſæculares ſint (quibus diverſimodè miniſtrandum eſt) comiter eos excipiat, & quid agendum cum Superiore conferat.

8. Caveat, ne cum Hoſpitibus, vel

ſæcu-

Digitized by Google

ſæcularibus, vel Religioſis, verboſus ſit, aut ab eis nova velit audire, aut quæ ſecretò apud nos aguntur, eis imprudenter detegere.

9. Si miniſtrat Hoſpitibus in Refectorio, ne cum eis verba faciat, vel in ullo alio actu obſervantiam, & boni exempli vim enervet.

10. Recedentes Hoſpites uſque ad Conventus januam comitetur, & veniam de Hoſpitalitatis imperfectione poſtulet.

11. Poſtquam Hoſpites receſſerint, lodices, ſtramenta, & cætera, quæ in eorum uſum extraxit mundet, & in communia promptuaria referat.

Inſtructio Miniſtri Infirmorum.

1. SIc erga infirmos affici curet, ut mater erga filios, & quod plus eſt, ac ſi Chriſtus ipſe jaceret ægrotus.

2. Certò ſibi perſuadeat, nihil Congregationi perinde officere, ut Charitatis, providentiæque neglectus, remiſſioque erga infirmos.

3. Cum primùm quis decumbit, accurrat miniſter, & lectum pro ratione ſtatus noſtri mundum, ac commodum ſternat; ac ſi opus eſt, tàm lectum, quàm ægrotum linteis veſtiat de Superioris conſenſu.

4. Medicum accerſiri faciat, cujus præcepta fideliter obſervet, de quibus Priorem moneat, ut quàm diligenter, & accuratè de omnibus provideatur.

5. Quod ad victum attinet, quàm exactè poſſit, quæ Dominus providerit paret, & tempora obſervet, ut oportunè omnia faciat, & morbi faſtidia obſequio ſuo extenuet.

6. Munditiam curet, quotidie vaſa lavet, Cellæ pavimentum quoties ſorduerit verrat, & pro ratione paupertatis noſtræ, lintea, pulvinos, & reliqua mutet.

7. Vaſa, aromata, conditanea, medicamenta, & reliqua Infirmorum uſui neceſſaria, loco deſignato, clauſoque cuſtodiet, & pro neceſſitatis modo diſtribuet.

8. Veſperi, niſi morbus ingraveſcens obſtet, diebus ſingulis lectum curet, ac molliat.

9. Ex-

Digitized by Google

9. Excogitet novos charitatis modos ad ſolandos ægros, quibus laborem diminuat, & ſpiritum alat; cujuſmodi ſunt, febri ferveſcente fontes artificiales, & pro tempore florum faſciculi, aliaque ſimilia, quæ ad ſpiritualem ſenſum traduci poſſunt.

10. Caveat in diuturnis præſertim, & gravioribus morbis, ne tædio afficiatur, quod ſi tentetur, ſtudeat eam paſſionem ſubiugare, ac hilarem vultum ſemper exhibere.

11. Sit verbis lenis, ac ſuavis, ac colloquia ſpiritualia cum ægrotis miſceat, duraque fortaſſe verba, quæ ab infirmis morbus extorquet, leniter accipiat.

12. Caveat, ne morbi prætextu ad mores ſæculares infirmi redeant, ne cum convaluerint, clauſtri diſciplinam oderint, quod ſi quid ejuſmodi deprehendat, Superiorem admoneat.

13. Cum iis, qui non decumbunt, & leviter ægrotant, quomodo ſe gerere debeat quò ad rationem victus, & alia neceſſaria, à Superiore diſcat.

14. Nullam perſonarum, ſed ſolius

neceſſitatis rationem habeat,& juxta eam ſingulis æqualiter miniſtret.

15. Cùm aliquem ex convaleſcentibus ægrotantium victu, aut commoditate non egere crediderit, Prælatum moneat; idemque, quando aliquis indiguerit, faciat.

16. Dum infirmi convaleſcunt, ſingularem curam gerat, ne modum victus excedant, & in morbum relabantur, obſervetque, an bonorum morum *jacturam* faciant? de quibus Superiorem quoque moneat.

17. Invaleſcente morbo Superiorem de periculo certiorem faciat, ut Sacramentis Eccleſiæ, & ſuffragiis Religionis ægroti muniantur.

18. Nunquam de cælo mutando, aut alio remedio,quo extra Clauſtra utendum ſit cum Infirmo, vel Medico agat ſine prævia Superioris venia; idemque obſervabit, quoties remedium aliquod cum Inſtituto noſtro minus convenire videbitur.

19. Exactè obſervari ſatagat Conſtitutionem præcipientem, ut Fratres decum-

cumbentes extra valetudinarium Superiores manere ultra triduum non permittant, ſed illuc deferri præcipiant, quotidièque ibi (ſi fieri poſſit) ægroti omnes ſacrum audiant, quod ſine ſcitu Superioris nunquam eſt omittendum.

20. Contagioſè ægrotantium ſeparari debet ſupellex, ne aliquibus officiat.

21. Nunquam efficiet, ut recreationis tempore alicujus Fratris interventu, ſolatioque infirmi deſtituantur, ea de re Superiore diligenter admonito: Quæ verò decumbentibus ad ſumendum cibum, parva menſa inſterni ſolet, ſumpto, mox auferatur, eorumque ſupellectilem tempeſtivè commutet.

Inſtructio Miniſtri Refectorii.

1. SIc omnia paret, ac ſi Chriſtus, & Apoſtoli ſeſſuri eſſent, quos ſub imagine Superioris, ſubditorumque concipiat.

2. Bis ſaltem in hebdomada linteola mutet, Dominica ſcilicet, & Feria quinta, niſi ob aliquod feſtum, aut profeſſio-

nis, aut alicujus ſolemnitatis rationem dies mutari debeat.

3. Urceos, cultros, cochlearia, & reliqua vaſa ſemel ſaltem in hebdomada intus, foriſque lavet, & detergat.

4. Menſas, tabellaſque vaſis ſuppoſitas, opercula, ſalina, ſemel per menſem lavet, ac ſedium pulverem tergat.

5. Præter aſſignatum tempus, quoties aliquid ſordidum deprehenderit, accuratè mundet.

6. Quotidie linteola ſuis locis complicata, cultrum, & cochlear ſuppoſitum, poculumque reviſet, & quantum opus fuerit abſterget.

7. Refectorii pavimentum quotidie verrat, & quoties opus erit, hærentes vini, pulmentorum, & rerum aliarum ſordes eradat.

8. Lucernas, quas hyeme paratas, & mundas habere debet, per menſas ita diſtribuat, ut quid agatur? commodè diſcerni poſſit.

9. Eſculenta quævis, & poculenta ad victum neceſſaria, quorum quotidiana ad ipſum pertinet miniſtratio, in Cel-
lariis,

lariis, promptuariiſque ita cuſtodiat, ut ex illius incuria, nihil (quantum fas eſt) corrumpatur, ſi quid verò defecerit neceſſarium, conſulat Superiorem.

10. Fragmenta panis, vini, & fructuum, vel aliarum rerum reliquias, quæ fortuitò ſuperſunt, colligat, & ſeponat, ne contra paupertatis cultum pereant.

11. Æqualitatem diſtrictè ſervet. In jejuniis verò tàm Eccleſiaſticis, quàm Regularibus, debitam panis, fructuumque (ſi apponendi ſint) quantitatem pro veſpertina collatione nunquam excedat juxta Conſtitutionis præſcriptum. Si quid amplius indigentibus dandum ſit, è Superiore diſcat.

12. Silentium quàm poterit ſtrictè colat, & contentiones cum Sociis, & Culinæ Miniſtris vitet.

13. Bis ſaltem per hebdomadam mutet lintea, quæ præ foribus Refectorii pendeant, ubi Fratres ante prandium, cœnamve manus lavant, & abſtergunt.

14. Vbi refectionis ſignum datur, Refectorii fores omnes aperiat, caveatque, ne Fratres venientes ex clavis incu-

ria

Digitized by Google

ria retardet. Cum verò Præſes dederit ſignum pro abſtergendis mēſis in fine refectionis, pulſet campanulam ſex ictibus continuis, niſi alius pulſaverit.

15. Prælatis, aut aliis Viris illuſtribus apud nos pranſuris, bina linteola, alterum ſubtùs, alterum ſupra panem explicata coaptabit, & ad manus abluendas vaſa munda, & lintea ſepoſita habebit.

16. Dum prandent qui ad ſecundam menſam ſedent, Refectorium aptare curet, ut Veſperi quod faciendum ſupereſt, abſolvat citiùs, idemque poſt cœnam, collationemvè, dum ſedent, qui ſerò accubuerunt, obſervabit.

17. Æſtate, non antequam refectionis tempus inſtet, aquam urceis infundat.

18. Recentes fructus è Cellario, vel aliunde, ubi (ſi poſſit) frigidi conſerventur, oportunè depromat, menſæ ſedulò apponendos, cum virentibus foliis infra, ſupràque coaptatis.

19. Libros, qui in Refectorio leguntur oportuno loco tectos, & mundos aſſervet.

20. Ex-

20. Expleto officio, Refectorium claudat, nec niſi ſtatis horis, vel ex alia juſta occaſione aperiat.

Inſtructio Miniſtri Cellæ vinariæ.

1. GEnus vini, ſeù (pro locorum diverſitate) alterius poculenti diſtribuet, quod Prior præſcripſerit.

2. Nil, etſi minimum, unquam bibat, niſi fortè ut periculum faciat, quæ vini, vel poculenti ſit qualitas, & an ad corruptionem declinent? Diſcat remedia, quibus eadem præſerventur; quæque fuerint meliora, vel ætatem magis latura, Superiori ſignificet.

3. Officinæ inſtrumenta ſtudiosè curet, cuſtodiatque, tempeſtivè Priorem doceat, quænam dolia vetuſta ſint, vel reparatione indigeant? locumque crebrò à ſordibus, ac telis aranearum expurget.

4. A Superiore inſtruetur, quemadmodum vinis, vel poculentis per æſtatem frigus conciliet, ne æſtuantibus Fratribus nimis calentia miniſtrentur.

5. Ad id autem lagenas habeat per-

appo-

appoſitas, quas intus, foriſque ſæpe tergat, ne quid contrahant, quod noxium ſit.

6. In Cœnobiis ubi vina, ſeù poculenta pretio emi neceſse eſt, provideri ea tempeſtivè pervigilet, atque à peritis legem, diſciplinamque eadem conſervandi condiſcat, quæque ad eventus fore cognoverit neceſſaria, diligenter provideat, habeatque oportunè diſpoſita.

7. Neminem abſque Superioris licentia in Cellam vinariam introducat, nec Religioſo, externoque cuipiam peculiare vinum, aut poculentum apponat.

Inſtructio Quæſtoris Eleemoſynarum.

1. FRater, cui demandata fuerit quærendarum cura eleemoſynarum, ſi oſtiatim quæſtuet, ſingulari modeſtia, voce ſimplici, & ad cantum minimè inclinante, hoc ferè modo dicturus eſt: *Laudedetur Jeſus Chriſtus: Date eleemoſinam ob amorem Dei pro Fratribus Diſcalceatis*; vel *pro Conuentu N.*, vel modo alio non abſimili. Stipe accepta, vel non accepta, perinde gratias agens, ſubiiciat;

Do-

Dominus mercedem retribuat; pecuniaſque ſibi erogatas, inferat in Capſellam ligneam, ſive in ſportulam, non manu ferat.

2. Multiloquium, prçſertìm cum mulieribus caveat, & magna totius corporis, maximè oculorum moderatione incedat, agatque cum ſæcularibus.

3. Cum quis petentem diutiùs remorabitur, aut fortè vacuus dimittetur; hilariter, benignèque ſuſtineat, nec ob eam cauſam domi, foriſvè cum Fratribus, vel domeſticis adverſus aliquem conqueratur.

4. Si quando panem, ſive quid aliud poſtulanti pecunia erogabitur, non eam panibus, aliiſve rebus comparandis inſumet, ſed ad Superiorem feret, eius arbitrio diſtrahendam. Nunquam verò quæſtuarium panem, aut ſimile portandum deleget ſæculari, niſi rariſſimè, aut quæſtore occupato,& ex Superioris conceſſu.

5. Requiſitus ab aliquo,quid ſibi malit in eleemoſynam erogari, puta vinum, pecuniam,panem? reſpondeat, ſe perinde quodlibet accepturum pro ipſius dantis arbi-

arbitrio, aut Superiorem conſulat, quid in poſterum ſit reſponſurus?

6. Nemini quidquam tribuat, niſi quando expreſſam à Superiore licentiam nactus fuerit.

7. Domum reverſus, omnem pecuniam quæſtuando coactam, in Arca trium clavium uſque ad quadrantem reponat.

8. Si duo quæſtores fuerint, ſibi viciſſim ſuos beneficos manifeſtent, ne fortè ambo eoſdem adeant, & frequentia faſtidio afficiant, abſque ulla contentionis, æmulationis, & invidiæ ſpecie ſibi invicem deferentes, ſuum quiſque munus expleat naviter, & ſincerè.

9. Duobus in Civitate una Cœnobiis ex quæſtu viventibus, Provincialis re prudenter expenſa ſingulis Cœnobiorum quæſtoribus, Beneficorum certum numerum, aut certos limites Civitatis ad quæſtuandum attribuet, qui nullatenus excedantur, ne ſe mutuò quæſtores impediant, & cuſtodiatur vinculum charitatis.

10. Sæculases rumores non perferant ad Religioſos, nec ad ſæculares facta Cœnobii, epiſtolas verò, ſalutationes, mune-

ra,

ra, & ſi quid aliud, non reddant, aut referant ſine Superioris expreſſa venia.

11. Janitorem Cœnobii de quotidianis eleemoſynis inſtruant, ſigillatimque de his, quæ fuerunt amplioris ſummæ, expreſſis Beneficis nominatim, & quorum neceſſitates Fratrum orationibus commendantur, ab ipſo poſtmodum janitore in Refectorio juxta Ordinarium exponendis.

12. Delicatiora quæque, aut pretioſiora, ſine nutu Superioris non poſtulent; præterquam ad ſolatium infirmorum.

13. A Superiore docendi ſunt quæſtores tempus, modumque ab Epiſcopis, & Magnatibus, cæteriſque viris Illuſtrioribus eleemoſynas poſtulandi.

14. Colloquia, & familiaritates extraneorum devitent, neque cum ſæcularibus, maximè mulieribus, moram trahant, nec eorum rebus agendis quovis modo ſe ingerant. Pro egenis, aut conſanguineis, aliiſve penitus nihil poſcant, niſi Superiore, ad quem pertinet veniam dante.

15. Meminerint Fratres quæſtores, in

in tanta occaſionum frequentia animum facilè diſtrahendum Divinæ præſentiæ ſcuto, frequentibuſque orationum jaculis præmunire; Cumque neceſſitas cogit cum ſæcularibus colloquendi, de rebus ſpiritualibus, parcè admodum, & devotè loquantur.

16. Habeant, & legant, vel adeant, qui ſibi legat ſemel in Menſe hujuſmodi Inſtructionem.

Inſtructio Emptoris.

1. QUi fungitur Emptoris officio, imprimis fidem, frugalitatem, exemplum bonum ubique ſemper exhibeat.

2. Nil ſibi, aliiſve quantumvis minimum unquam emat, niſi Superior, aut Procurator licentiam dederit.

3. Singulis, vel alternis diebus empti, expenſique rationem reddet Procuratori; & ne quid excidat, ſi neceſſe habuerit, ſcribet ſingula; acceptamque in dies ab eodem pecuniam prænotabit.

4. Nulli noſtrum, aut externorum ullam

Digitized by Google

ullam pecuniam mutuo dabit, accipietque, præterquam à Superiore obtenta venia, & ſumma inſuper adnotata cum die, menſe, anno, & perſonæ nomine, quæ mutuum dedit, accepitque, & condicto tempore mutuum repetet, aut reſtituet.

5. Pecuniam ſibi ex licentia mutuatam Superiori tradat, in Arca trium Clavium reponendam, ut inde ſibi uſibus exigentibus extrahatur.

6. Depoſita quæcunque pecuniæ, vel alterius rei apud ſe in Cœnobio, vel extra Cœnobium, juxta noſtras Conſtitutiones ſervata non habeat, ſed eam pecuniam dumtaxat ſervet, quam à Procuratore ſumptibus qnotidianis erogandam accepit.

7. Emat res bonas, non inutiles, aut putreſcentes; quamquam autem ex propriis non expendit, nihilominus ad exhibenda rerum pretia ſit diſtrictus, & cogitans paupertatem Chriſti, ea tantum emat, quæ ſtatum pauperum decent, ac egenorum pecunias providè ſemper & prudenter impendat, nihilque unquam

L præ-

præter Superioris præſcriptum innovet, vel immutet.

8. Nil emat pretio inſoluto, niſi ex Prioris conſenſu; tum verò ſcribantur hęc omnia; Res empta, pretium, dies, menſis, & annus, & Priori, aut Procuratori omnibus indicatis, de ſolutione celeriter adimplenda ſeriò cogitabit.

9. Si quid raro emendum fuerit per ſæcularem perſonam, fiat ex nutu Superioris: Iis verò aſportandis, quæ poteſt emptor per ſe deferre, ſæculares bajulos non adhibeat.

10. Nullam ſalutationem, rumorem, nuncium domum ferat; neve det litteras abſque venia Superioris, niſi ſcriptas ab iis, vel illis directas, ad quos juxta Conſtitutiones licet ſcribere nulla requiſita licentia.

11. Eos quibus cum egerit, exemplo ædificet, omni contentione, cavillatione, levitate penitus reſecata; ſeque graviter, modeſtèque in omnibus gerat, ut decet Religioſum virum.

Digitized by Google

Inſtructio Miniſtri Culinæ.

1. MIniſter Culinæ à Superiore ſciſcitetur, Quę pro temporum diverſitate diebus ſingulis debeat Religioſis parare, quæque ille præſcripſerit non excedat, quæ verò ſibi defuerint, eidem tempeſtivè ſignificet, ut oportunè provideantur.

2. Silentium teneat diſtrictè cum omnibus, magis tamen cum Infirmario, & Refectorii Miniſtro, erga quos patientiam, urbanitatem, charitatemque inconcuſſam exerceat.

3. Tàm primo manè, quàm poſt prandium aquam lavandis lancibus tempeſtivè paratam habeat; lintea quoque repoſita pro terſoribus, & furfures, vel quid ſimile ad tergendas manus.

4. Munditiem quàm accuratè ſervet in omnibus, terſionis locum quotidie verrat; lebetes, cacabos, & id generis vaſa ferrea, & fictilia, cum opus erit, diligenter abſtergat, at quarto quoque menſe impenſiùs, accuratiùſque purgabit,

& præ ſolito nitidiſſima efficiet; opercula verò, & cochlearia quoquo menſe attentiùs emundabit.

5. Piſces, & quæcumque cibaria, dum cruda incidit, vel parat, mundè tractet; jam cocta verò quò ad poterit digitis non contrectet, ſed cochleari, aut ſimili inſtrumento.

6. Legumina, olera, eſculenta alia, quæ pro ſui qualitate id poſtulant, ſtudiosè diſcutiat, mundet, abluat, lapillis & ſordibus expurget, tempuſque ad id neceſſarium captet, atque impendat.

7. Ligna non plura, quàm ſint neceſſè abſumi curet, ne quæ lentiore igne, majorique temporis intervallo coquenda eſſent, vehementiori adhibito citiùs, & immaturiùs abſolvat.

8. Quæ cocta fuerint, pro rerum qualitate calida ſervet; idque maximè ad ſecundæ menſæ ſolatium, in qua omnia ut in prima ſedulè accurata miniſtrari provideat.

9. Culinæ pavimentum frequenter verrat, menſas, tabulas, promptuaria munda, terſa, compoſita, ſcitèq; diſpoſita ſemper habeat.

10. Dum

10. Dum Coquinam agit, linteo pręcingatur, ne habitus inquinetur; ſacris verò miniſtraturus, mundiorem habitum induat, quem in Cella paratum habeat, & ad ejuſmodi miniſterium nunquam, niſi manibus diligenter lotis accedat.

11. In ferculis miniſtrandis æqualitatem cuſtodiat; nil unquam diverſum, vel diversè conditum paret, aut præbeat, niſi à Superiore, vel altero cui demandaverit expreſsè aliud iniunctum fuerit.

12. Ex his, quæ menſæ ſupererint, ſive aliunde, tempeſtivè paret pauperibus quæ Priori videbuntur, à janitore poſtmodum, vel ab alio per Superiorem ſuffecto ad pauperes deferenda.

13. Quæ Religioſis diſtribuet, pro ſingulorum exigentia, & noſtræ modulo paupertatis congruè cocta, & condita ſint, ac ſi Chriſto paranda forent, quem ſub Religioſorum imagine cogitabit. Aromatibus, Saccaro, & ejuſmodi de Superioris expreſſa venia ſolummodò, & moderatè vti poterit.

14. Paupertati obſequens, quæ ſuperſunt mundè admodùm ſervet, ut poſ-

ſint iterum miniſtrari: ſed in hac re Superioris ductum ſequatur, ne metas excedat.

15. Incipiat fercula diſtributim parare opportuno tempore, ſitque in hac re ità ſedulus, ut Religioſos in menſa non remoretur, quod ſi miniſterio ſolus non ſuppetat, à Superiore ſibi adiutorem depoſcat.

Inſtructio Miniſtri Veſtiarii.

1. QVorumcumque veſtimentorũ, quæ induendi, aut præcingendi, inſternendi, incubandique cauſa parata ſunt, & quæ alterius officio aſſignata non erunt, mapparũ quoque, ac linteorum, quæ Refectorii uſibus aſſervantur, gerat ſolicitam prouidentiam.

2. Intra Veſtiarium idonea diſponat armaria, quibus pro rerum diſcrimine diſcretim ſingulæ reſerventur; ſed interiores tunicas, & femoralia eorum nominibus, quorum uſui deputantur, filo, atramento, vel modo alio prænotabit, ut facilè diſcernantur.

3. Con-

Digitized by Google

3. Conſtituat ſeorſim Armarium, ubi veſtes Novitiorum reſerventur incluſæ, clavemque cautè cuſtodiat, nè facilè ab aliis comperiatur.

4. A pulvere, muribus, tineis intacta omnia, atque incorrupta ſtudioſiſſimè tueatur, ideòque maximè per æſtatem, lanea cuncta, & ſigillatìm lodices, ad cœlum, Solemque interdum extrahat, exponat, excutiat, noctu tamen ſi ſub dio eſſe noxium foret, in veſtiarium referat.

5. Moneat Fratres, ut ſi quid in eorum veſtibus reſuendum, aut quovis modo concinnādum appareat, ad veſtiarium ferant, quæ ipſe ſedulò reparabit, concinnabitque, ut major jactura caveatur.

6. Indumenta, quæ à Religioſis interim intermiſſa, & in veſtiarium relata fuerint, ſolerter excutiat, mundet, reſarciat, ſervet, opportunè poſtmodùm ab iiſdem Fratribus reſumenda, nec alteri dedat, niſi ex licentia Superioris; idque maximè erga hoſpites exequatur, ab eo autem cui nova ſubſtituit, vetera ſigillatìm repoſcat.

7. Tempeſtivè Superiorē moneat, quę

Digitized by Google

ad ſingulorum communem uſum comparanda,& providenda cognoverit, ut queri, parariquc poſſint oportunis temporibus. Diſcet autem ab eodem Superiore, quid agi de his oportuerit,quæ deſtinatis uſibus apta eſſe deſierint.

8. In parandis, reparandiſque indumentis, nihil contra Inſtituti noſtri rationem committat, aut novi quidpiam, etſi leve inducat, habeatque in officina affixam tabellam, in qua ordinatè deſcriptæ ſint menſuræ, & formæ cuiuſcumque indumenti, quas nullo modo tranſgrediatur, ſi quis verò diverſum aliquid poſtulaverit, à Superiore diſcat, quid facto opus ſit.

9. In iis verò indumentis, quæ pro infirmis, vel iter agentibus extraordinariè parari neceſſe erit, maximè invigilet ne quid curioſitatis obrepat. Sint autem omnia inelaborata, & conſentanea paupertati, quam profitemur, at ſi quid accidat ejus generis aliundè ad Conventum afferri,Superiori oſtendat,ejus judicio diſponendum, proponatque iſta, cum tempus erit,Viſitatoribus rigidè diſquirenda,

ne

ne quid contra Inſtituti integritatem, & Congregationis receptos, laudatoſque uſus unquàm poſſit induci.

10. Veſtes, & alia unjus uſui aſſignata, in uſum alterius neque transferat, neque alterum transferre permittat, aut earundem veſtium receptacula perveſtigare, ſeù fortè quippiam commutare, niſi Superioris præcedente conſenſu.

11. Veſtiarium ipſum omni ex parte à pulvere, telis aranearum, & ſqualore quolibet expurgabit: At ſingulariter emundabit armaria, biſque in hebdomada ſolum verret.

12. Semel per hebdomadam, interiores tunicas, & ſubligacula ſingulorum lavabit, ſi quando tamen per hyemem minùs commodum fuerit adeò frequenter lavari, ſiccarique prædicta, Superiorem adeat, & ex illius præſcripto interdum poterit, ob cæli maximè intemperiem, tempus differre.

13. Refectorii mappas, & manutergia bis per hebdomadam immutanda Miniſtro dedat, ſemperque omnia ſcitè munda, ſicca, complicata diſtribuat.

In-

Inſtructio Hortulani.

1. CUram indefeſsè obeat vias purgandi, ſolum fodiendi, olera, herbaſque oportunè ſerendi, occandi, plantandi, putandi, & ſimilium, quibus horti cultus perficitur.

2. Nulli Fratrum, externorũuè quidpiam etſi minimum tribuat, ex his etiam quæ in horto redundant, & ſuperflua ſunt, niſi ex conceſſu Superioris.

3. Ad uſum Cœnobii eos ex hortulo fructus legat, id genus olerum ſigillatim aut herbarum, quæ Prior, vel ab eo alius deſignatus præſcripſerit, cujus ad omnia ſemper conſulat & ſequatur arbitrium. Illud caveat, ne tàm fructus, quàm herbæ, aut olera quovis tempore longè prius legantur, quàm fuerit utendi neceſſitas, ut recentiora Fratribus apponantur; at quæ per hyemem reſervare diſponet, ſervata ratione temporum colligantur.

4. Satis horis, atque temporibus herbas, olera, plantas, arboreſvè, ac cætera irrigabit; & ſi aliquando alicujus externi

opera

opera indigere videbitur, Superiorem adibit. Cum ejuſmodi autem laboratore verba non miſceat, niſi tantummodo neceſſaria, utilia, & religioſa; nec ad alia Fratrum obſequia eum patiatur divertere, & ipſe ad aliud, quàm quod ei Prior iniunxerit, ejus opera non utatur:

5. In horto ad ſolis æſtum, imbremque vitandum, uti poterit pileo ex paleis, aliove oportuniore; ac tempore nivium, calepodiis vulgò ſocculis ex Prioris licentia, ſed intra hortum dumtaxat.

6. Tempeſtivitatem ſerendi, plantandi, putandi, aliorumque hortenſium operum diſciplinam à peritis excipiat, quæque nobis neceſſaria ſunt, hæc plantet, ac ſeminet pro Superioris arbitrio.

7. Habebit in horto locum aliquem ſoli purgatioris, floribus ad ornatum templi excolendis idoneum; eritque in hoc valde ſedulus & ſtudioſus.

8. Nil unquam venundabit, niſi de Prioris expreſſa venia; quo caſu pretium ſtatim tradat Superiori; mox inferendum in Arcam trium clavium; ſi quid verò ad horti uſum emi expedierit; fiat ex nutu

Supe-

Superioris; ipſe tamen pecuniam penès ſe, ſive iſta, ſive alia ex cauſa non ſervabit.

Inſtructio Calcearii.

1. NOva ſandalia citra Superioris veniam nulli præparet, neque tradat; caveatque plurimum, ne fortè in iis parandis contra Inſtituti normam, aut Congregationis morem quicquam inducat, quod curioſum, & ſupervacaneum videatur.

2. Trita ſandalia penès eos, quibus nova paraverit, non relinquat; cum primùm verò quævis fractura in ſandaliis cœperit apparere, ſtatim reſarciat. In officina habeat etiam aliqua reparata, quę præſtò ſint indigentibus, iis præſertim, qui ad ipſum propria deferunt reſarcienda, & poſtea recipiat.

3. Conſtabunt ſandalia duabus tantùm, vel tribus ſoleis, ut Conſtitutiones præcipiunt, anſulæ autem quibus ad pedes aſtringuntur, unius ferè digiti latitudinem habeant.

4. Zo-

Digitized by Google

4. Zonas parabit ex corio nigro duos digitos latas, quæ rudi fibula ferrea, vel oſſea ſtringantur, & palmum circiter à ſolo deſinant.

5. Superiorem, aut Procuratorem Cœnobii oportunè commoneat, ut corium & ad officinæ uſum alia requiſita provideat.

BIBLIOTECA NAZ. ROMANA VITTORIO EMANUELE

LAUS DEO.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

INSTRUCTIONUM.

Actuum libri Conventus Inſtructio. fol. 131.
Archivii Congregationis. 122.
Archivii Conventus. 127.
Archivii Provinciæ. 125.
Bibliothecarii Inſtructio. 141.
Calcearii Miniſtri Inſtructio. 172.
Caſuum Conſcientiæ conferentiæ. 71.
Celiæ Vinariæ Miniſtri. 155.
Collationis Spiritualis. 65.
Confeſſarii. 25.
Conſcientiæ rationem reddendi. 67.
Culinæ Miniſtri. 163.
Emptoris Inſtructio. 160.
Epiſtolarum ſcribendarum. 85.
Exercitiorum Spiritualium Inſtructio. 42.
Cap. 1. Modus explorandi, ac regendi eos, qui exercentur ad peccatorum expiationem per Confeſſionem generalem. fol. 42.

Cap. 2.

Cap. 2. Modus regendi eos, qui ad majorem profectum exercentur. 46.

Cap. 3. Diſtributio horarum, & exercitiorum. 49.

Cap. 4. Actuum pœnitentiæ modus. 53.

Cap. 5. Modus examinandi, ac juvandi eos qui exercentur. 55.

Cap. 6. Cætera neceſſaria ad obſequium eorum, qui exercentur. 59.

Cap. 7. Modus in exercitiis Fratrum noſtrorum obſervandus. 60.

Fabricæ Eccleſiarum, & Monaſteriorum Inſtructio. 87.

Fratrum ad alia Cœnobia migrantiũ. 116.

Fratrum, qui ad officia deſignantur. 119.

Fratrum, qui Socii foras mittuntur. 120.

Fratrum recenter profeſſorum. 113.

Hortulani Inſtructio. 170.

Hoſpitum Miniſtri. 145.

Humilitatis officii. 134.

Janitoris Inſtructio. 138.

Infirmorum Miniſtri. 147.

Iter agentium. 133.

Miſſionum Seminarii Inſtructio. 90.

Mortificationum extraordinariarum. 73.

Officialium in genere Inſtructio. 139.

Prio-

Digitized by Google

Prioris Inſtructio. 5.
Procuratoris Conventus. 27.
Profeſſorum educandorum Conventus. 111.
Quæſtoris eleemoſynarum Inſtructio. 156.
Raſuræ Miniſtri Inſtructio. 137.
Recreationis Inſtructio. 79.
Refectorii Miniſtri. 151.
Religioſorum euntium ad Miſſiones. 97.
Religioſorum ſubditorum exiſtentium in terris Infidelium. 108.
Sacriſtæ Inſtructio. 30.
Secretarii Generalis, & Provincialis. 23.
Supprioris Inſtructio, 15.
Tergendi ſcutellas Inſtructio. 136.
Veſtiarii Miniſtri Inſtructio. 166.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google